OPGAVER

TIL

OVERSÆTTELSE FRA LATIN PAA DANSK,

SAMLEDE

AF

DR. R. J. F. HENRICHSEN,
RECTOR I ODENSE, PROFESSOR.

FEMTE UDGAVE,

BESØRGET AF M. CL. GERTZ.

KJØBENHAVN.

GYLDENDALSKE BOGHANDELS FORLAG (F. HEGEL & SØN.)

TRYKT HOS J. JØRGENSEN & CO.

1884.

1247.25

Hr. Rector Frøkhammer
med venlig Hilsen fra
Ulz.

OVERFØRT TIL
ODENSE UNIVERSITETSBIBLIOTEK
1968

Da Dr. Siesbye, som besørgede fjerde Udgave af denne Bog, ikke har haft Tid eller Lyst til ogsaa at besørge nærværende femte Udgave, har jeg efter den højtærede Forlæggers Ønske paataget mig Arbejdet. Med Hensyn til de Grundsætninger, jeg har fulgt ved Udførelsen deraf, henviser jeg til mine kritiske Bemærkninger til fjerde Udgave i Tidskrift for Filologi N. R. IV, p. 46 ff.; enkelte Textændringer, som jeg senere har set burde foretages, vil jeg maaske finde Lejlighed til at gjøre Rede for i nævnte Tidskrift.

Af Stykkerne i forrige Udgave har jeg udskudt Part. III, 4 og 16, Part. IX, 13, Part. X, 2 og 11 og erstattet dem med andre. Et Register over Kildestederne er tilføjet.

30te Maj 1884.

M. Cl. Gertz.

Rettelser.

S.	8	L.	11 f. o.	læs:	provehi;
-	27	-	3 f. n.	—	audiebatur
-	73	-	13 f. n.	—	cibus, quem occuparunt, satiat
-	142	-	5 f. n.	—	plebs;
-	160	-	1 f. n.	—	Romanis
-	168	-	21 f. o.	—	cum alis

PARTICULA I.

I.

In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam et secum aliquantum nummorum ferentem est consecutus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit, ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare quum in eandem tabernam devertissent, simul cenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Cenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, quum in alio maleficio deprehensus esset) quum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animum advertisset, noctu, postquam illos artius jam, ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter adpositum e vagina eduxit et illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse se in suum lectulum recepit. Ille autem, cujus gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel et sæpius; illum somno impeditum non respondere existimavit; ipse gladium et cetera, quæ secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamat hominem esse occisum, et cum quibusdam deversoribus illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem compre-

hendit, gladium ejus e vagina educit, reperit cruentum. Homo in urbem ab illis deducitur ac reus fit. (*Cicero.*)

II.

Anno u. c. quadringentesimo quadragesimo tertio tibicines, quia prohibiti a proximis censoribus erant in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut ii homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti primum accitos eos in curiam hortati sunt, uti reverterentur Romam; postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos adgrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum invitant et vino, cujus avidum ferme genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra somno vinctos coniciunt ac Romam deportant; nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, impetratoque, ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu atque hac, quæ nunc sollemnis est, licentia per urbem vagarentur, restitutumque in æde vescendi jus iis, qui sacris præcinerent. (*Livius.*)

III.

Non inscite Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma; deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata; at vero Tarquinio regnante, quum jam quasi adulta esse cœpisset, servitium non tulisse et rejecto

superbæ dominationis jugo maluisse legibus obtemperare quam regibus; quumque esset adulescentia ejus fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse juvenescere. Sublata enim Carthagine, quæ diu æmula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus omnibus et nationibus imperio subjugatis, quum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima ejus senectus, quum bellis lacerata civilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

IV.

Rhodum insulam celebritatis antiquissimæ oppidumque in ea pulcherrimum ornatissimumque obsidebat oppugnabatque Demetrius, dux ætatis suæ inclutus, cui a peritia disciplinaque faciendi obsidii machinarumque sollertia ad capienda oppida repertarum cognomentum Πολιορκητής fuit. Tum ibi in obsidione ædes quasdam publice factas, quæ extra urbis muros cum parvo præsidio erant, adgredi et vastare atque absumere igni parabat. In his ædibus erat memoratissima illa imago Ialysi, Protogenis manu facta, illustris pictoris, cujus operis pulchritudinem præstantiamque ira percitus Rhodiis invidebat. Mittunt Rhodii ad Demetrium legatos cum his verbis: „Quæ, malum" inquiunt, „ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? Nam si nos omnes superaveris et oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra et incolumi per victoriam potie-

ris; sin vero nos vincere obsidendo nequiveris, petimus consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse." Hoc ubi ex legatis audivit, oppugnatione desita et imagini et civitati pepercit. (*A. Gellius.*)

V.

Philippus, Macedonum rex, habebat militem manu fortem, cujus in multis expeditionibus utilem expertus operam subinde ex præda aliquid illi virtutis causa donaverat et hominem venalis animæ crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus in possessiones cujusdam Macedonis expulsus est; cui ut nuntiatum est, accucurrit, spiritum ejus recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, adfectum semanimemque recreavit, diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit subinde dicentem: „Gratiam tibi referam; videre tantum mihi imperatorem meum contingat." Narravit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit, et protinus petiit, ut sibi cujusdam prædia donaret. Ille quidam erat hospes ejus, is ipse, a quo receptus erat, a quo sanatus. Multa interim reges, in bello præsertim, opertis oculis donant: Philippus illum induci in bona, quæ petebat, jussit. Expulsus bonis suis ille non ut rusticus injuriam tacitus tulit, contentus, quod non et ipse donatus esset, sed Philippo epistulam strictam ac liberam scripsit; qua accepta ita exarsit, ut statim Pausaniæ mandaret, bona priori domino restitueret, ceterum improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hominem testantia. Dignus is quidem fuit, cui non inscriberentur illæ litteræ, sed insculperentur, qui hospitem

suum nudo et naufrago similem in id, in quo jacuerat ipse, litus expulerat. (*Seneca.*)

VI.

Germanicus, C. Cæsaris Caligulæ pater, Drusi et minoris Antoniæ filius, a Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio ante quam per leges liceret et post eam consulatum statim gessit; missusque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones universas imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes et sibi summam rei publicæ deferentes, incertum pietate an constantia majore, compescuit atque hoste mox devicto triumphavit. Consul deinde iterum creatus ac prius quam honorem iniret ad componendum Orientis statum expulsus, quum Armeniæ regem devicisset, Cappadociam in provinciæ formam redegisset, annum agens ætatis quartum et tricesimum diuturno morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, et spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est; cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præpositus nec dissimulans offendendum sibi aut patrem aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus nullo adhibito modo adfecit; propter quæ, ut Romam rediit, pæne discerptus a populo, a senatu capitis damnatus est. (*Svetonius.*)

VII.

Brutus in eo libro, quem de virtute composuit, sit se Marcellum vidisse Mytilenis exulantem et,

quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem neque umquam cupidiorem bonarum artium quam illo tempore. Itaque adicit visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exilio relinqui. O fortunatiorem Marcellum eo tempore, quo exilium suum Bruto adprobavit, quam quo rei publicæ consulatum! Quantus ille vir fuit, qui effecit, ut aliquis exul sibi videretur, quod ab exule recederet! quantus vir fuit, qui in admirationem sui adduxit hominem etiam Catoni suo mirandum! Idem Brutus ait C. Cæsarem Mytilenas prætervectum, quia non sustinuerit videre deformatum virum. Illi quidem reditum impetravit senatus publicis precibus tam sollicitus ac mæstus, ut omnes illo die Bruti habere animum viderentur et non pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exules essent, si sine illo fuissent; sed plus multo consecutus est, quo die illum exulem Brutus relinquere non potuit, Cæsar videre. Contigit enim illi testimonium utriusque: Brutus sine Marcello reverti se doluit, Cæsar erubuit. Num dubitas, quin se illo Marcellus tantus vir sic ad tolerandum æquo animo exilium sæpe adhortatus sit: „Quod patria caros, non est miserum; ita te disciplinis imbuisti, ut scires omnem locum sapienti viro patriam esse. Quid porro? hic, qui te expulit, non ipse per annos decem continuos patria caruit? propagandi sine dubio imperii causa; sed nempe caruit." — Bene ergo exilium tulit Marcellus, nec quicquam in animo ejus mutavit loci mutatio, quamvis eam paupertas sequeretur; in qua nihil mali esse, quisquis modo nondum pervenit in insaniam omnia subvertentis avaritiæ atque luxuriæ, intellegit. (*Seneca.*)

VIII.

Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis cœlestis favor et quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua ejus advolvitur remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manum æger eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, supernari, atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. Postremo æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari; id fortasse cordi dis, et divino ministerio principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus nec quicquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ adstabat multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manci manus ac cœco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. (*Tacitus.*)

IX.

C. Plinius Caninio suo S.

Incidi in materiam veram, sed simillimam fictæ dignamque iuto lætissimo planeque poetico ingenio;

incidi autem, dum super cenam varia miracula hinc inde referuntur. Magna auctoris fides; tametsi quid poetæ cum fide? is tamen auctor, cui bene vel historiam scripturus credidisses. Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima; adjacet navigabile stagnum; ex hoc in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic ætas piscandi, navigandi atque etiam natandi studio tenetur, maxime pueri, quos otium lususque sollicitat. His gloria et virtus altissime provehi; victor ille, qui longissime ut litus ita simul natantes reliquit. Hoc certamine puer quidam audentior ceteris in ulteriora tendebat. Delphinus occurrit, et nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circumire, postremo subire, deponere, iterum subire trepidantemque perferre primum in altum; mox flectit ad litus redditque terræ et æqualibus. Serpit per coloniam fama; concurrere omnes, ipsum puerum tamquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident litus, prospectant mare et si quid est mari simile. Natant pueri, inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum; fugit ille cum ceteris; delphinus, quasi invitet et revocet, exsilit, mergitur, variosque orbes implicat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor. Accedunt et adludunt et appellant, tangunt etiam pertrectantque præbentem se. Crescit audacia experimento, maxime puero, qui primus expertus est: adnatantis insilit tergo, fertur referturque; agnosci se, amari putat, amat ipse; neuter timet, neuter timetur; hujus fiducia, mansvetudo illius augetur. Nec non alii pueri dextra lævaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat una (id quoque mirum) delphinus alius, tantum spectator et comes; nihil enim simile aut faciebat aut patiebatur, sed alterum illum ducebat reducebatque, ut puerum ceteri pueri. Incredibile, tam verum tamen quam priora, delphinum gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum harenisque siccatum, ubi incaluisset, in mare revolvi. Constat Octavium Avitum, legatum proconsulis, in litus educto religione prava superfudisse unguentum; cujus illum novitatem odoremque in altum refugisse nec nisi post multos dies visum langvidum et mæstum; mox redditis viribus priorem lasciviam et solita ministeria repetisse. Confluebant omnes ad spectaculum magistratus; quorum adventu et mora modica res publica novis sumptibus atterebatur. Postremo locus ipse quietem suam secretumque perdebat. Placuit occulte interfici, ad quod coibatur. Huic tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles! Quamquam non est opus adfingas aliquid aut adstruas; sufficit, ne ea, quæ sunt vera, minuantur. Vale.

X.

Alexander exeunte hieme movit exercitum, regionem, quæ Gabaza appellatur, aditurus. Primus dies quietum iter præbuit; proximus ei nondum quidem procellosus et tristis, obscurior tamen pristino, non sine minis crescentis mali præteriit. Tertio ab omni parte cœli emicare fulgura et, nunc intermitente luce nunc condita, non oculos modo mentis exercitus, sed etiam animos terrere cœperunt. Erat prope continuus cœli fragor, et passim cadentium fulminum species visebatur, attonitisque auribus stupens agmen nec progredi nec consistere audebat. Tum repente

imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. Ac primo quidem armis suis tecti exceperant, sed jam nec retinere arma lubrica frigentes manus poterant nec ipsi destinare, in quam regionem obverterent corpora, quum undique tempestatis violentia major, quam vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen ferebatur, multique prius metu quam labore defetigati prostraverant humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu adstrinxerat; alii se stipitibus arborum admoveraut: id plurimis et adminiculum et suffugium erat. Nec fallebat ipsos morti locum eligere, quum immobiles vitalis calor linqueret; sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recusabant exstingui quiescendo. Quippe non vehemens modo, sed etiam pertinax vis mali insistebat, hucusque, naturale solacium, præter tempestatem haud disparem nocti silvarum quoque umbra suppresserat. Rex unus tanti mali patiens circumire milites, contrahere dispersos, adlevare prostratos, ostendere procul evolutum ex tuguriis fumum, hortarique, ut proxima quaeque suffugia occuparent. Nec ulla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quis ipsi cesserant, regem descrere erubescebant.

Ceterum efficacior in adversis necessitas quam ratio frigoris remedium invenit. Dolabris enim silvas sternere adgressi passim acervos strusque accumulerunt. Continenti incendio ardere crederes saltum et vix inter flammas agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra commovit, paulatimque spiritus, quem continuerat rigor, meare libere coepit. Excepere alios tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita necessitas investigaverat, alios castra, quae in umido quidem, sed jam coeli mitescente saevitia, locaverunt. Duo milia militum atque lixarum calonumque pestis illa consumpsit. Memoriae proditum est quosdam adplicatos arborum truncis et non solum viventibus, sed etiam inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. Forte Macedo gregarius miles seque et arma vix sustentans tandem in castra perveneral; quo viso rex, quamquam ipse tum maxime admotos igni refovebat artus, ex sella sua exsiluit torpentemque militem et vix compotem mentis demptis armis in sua sede jussit considere. Ille diu nec ubi requiesceret nec a quo esset exceptus agnovit; tandem recepto calore vitali, ut regiam sedem regemque vidit, territus surgit. Quem intuens Alexander: „Ecquid intellegis, miles“ inquit, „quanto meliore sorte quam Persae sub rege vivatis? Illis enim in sella regis consedisse capital foret, tibi saluti fuit.“ Postero die convocatis amicis copiarumque ducibus pronuntiari jussit, ipsum omnia, quae amissa essent, redditurum. Et promisso fides exstitit. Nam Sisimithres multa jumenta et camelorum duo milia adduxit pecoraque et armenta, quae distributa pariter militem et damno et fame liberaverunt. (*Curtius.*)

XI.

C. Plinius Cornelio Tacito suo S.

Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine et perito, cui nihil seque in causis agendis ut brevitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat; alioqui prævaricatio est transire dicenda, prævaricatio etiam cursim et breviter attingere, quae sunt inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractatu vis quaedam et pondus accedit, utque corpori ferrum, sic oratio

animo non ictu magis quam mora imprimitur. Hic ille mecum auctoritatibus agit ac mihi ex Græcis orationes Lysiæ ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimæ sunt circumcisæ et breves; ego Lysiæ Demosthenen, Æschinen, Hyperiden multosque præterea, Gracchis et Catoni Pollionem, Cæsarem, Cælium, in primis M. Tullium oppono, cujus oratio optima fertur esse, quæ maxima. Et hercule, ut aliæ bonæ res, ita bonus liber melior est quisque, quo major. Vides, ut statuas, signa, picturas, hominum denique mutorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decoræ, nihil magis quam amplitudo commendet. Idem orationibus evenit; quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quandam et pulchritudinem adicit magnitudo. Hæc ille multaque alia, quæ a me in eandem sententiam solent dici, ut est in disputando incomprehensibilis et lubricus, ita eludit, ut contendat hos ipsos, quorum orationibus nitar, pauciora dixisse, quam ediderint. Ego contra puto; testes sunt multæ multorum orationes et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet illum permulta, quæ dixisset, quum ederet, omisisse.

XII.

Facit ingratos primum nimius sui suspectus et insitum mortalibus vitium se suaque mirandi. Cn. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum, ante quam illum libertini pauperem facerent, ingenii fuit tam pusilli quam animi. Quum esset avarissimus, nummos citius emittebat quam verba; tanta illi inopia erat sermonis. Hic quum omnia incrementa sua divo Augusto deberet, ad quem attulerat paupertatem sub

onere nobilitatis laborantem, princeps jam civitatis et pecunia et gratia subinde de Augusto solebat queri, dicens a studiis se abductum, nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque divus Augustus præstiterat, quod illum derisu et labore irrito liberaverat. Ne aviditas quidem patitur quemquam esse gratum. Numquam enim improbæ spei, quod datur, satis est; eo majora cupimus, quo majora venerunt, multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit. Æque ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad præturam usque perductus; nec hæc grata est, si deest consulatus; ne hic quidem satiat, si unus est. Ultra se cupiditas porrigit et felicitatem suam non intellegit, quia non, unde venerit, respicit, sed quo tendat. (*Seneca.*)

XIII.

Rex Mithridates regi Arsaci S.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne pacem agere, dein, quod quæritur, satisne pium tutumque, tum gloriosum an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui liceat, nisi hostes opportuni et scelesti sint, ni egregia fama, si Romanos oppresseris, futura sit, neque petere audeam societatem et frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem. Atque ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meæ res parum prosperæ, si vere æstumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem tu voles

societatem accipiet; mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene svadendi, et, quod florentibus optabile est, ego modo validissumus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. Qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes. Ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere, ac mox, fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa et varia certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post habitum custodiæ agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere, simulatoque impio testamento filium ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere; Asia ab ipsis obsessa est. Postremo Bithyniam Nicomede mortuo diripuere, quum filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem dijunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque servicurum esse, per Nicomedem bello lacessiveruot, sceleris eorum haud ignarum et ea, quæ accidere, testatum autea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias Nicomedem Bithynia expuli Asiamque, spolium regis Antiochi, recepi et Græciæ dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito impedi-

vit; illique, quos ignavia aut prava calliditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas pœnas solvunt, Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses impugnati semel jam neque finem nisi excidio habituri. — Nunc quæso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistundum an finem belli futurum putes. Scio tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse, neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? Arma in omnes habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallundo et bella ex bellis serundo magni facti. Quare te moneo hortorque, ne malis pernicie nostra tuam prolatare quam societate victor fieri. (*Sallustius.*)

XIV.

Seneca Novato, Senecæ, Melæ filiis S.

Exigitis rem magis jocundam mihi quam facilem; jubetis enim, quid de iis declamatoribus sentiam, qui in ætatem meam inciderunt, indicare et si qua memoriæ meæ nondum elapsa sunt ab illis dicta colligere, ut, quamvis notitiæ vestræ subducti sint, tamen non credatis tantum de illis, sed et judicetis. Est, fateor, jocundum mihi redire in antiqua studia melioresque ad annos respicere et vobis quærentibus, quod tantæ opinionis viros audire non potueritis, detrahere temporum injuriam. Sed quum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem rettuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, ante ea, quæ rettulit, memoria est, res ex omnibus animi partibus maxime

delicata et fragilis, in quam primam senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego; nam et duo milia nominum recitata, quo erant ordine dicta, reddebam, et ab iis, qui ad audiendum præceptorem mecum convenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quæ vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda, quæ acceperat, solebat bonæ fidei esse. Nunc tamen et ætate quassata et longa desidia, quæ juvenilem quoque animum dissolvit, eo perducta est, ut, etiamsi potest aliquid præstare, non possit promittere. Diu ab illa nihil repetivi; nunc, quia jubetis, quid possit experiar et illam omni cura scrutabor. Ex parte enim bene spero: nam quæcumque apud illam aut puer aut juvenis deposui, quasi recentia ac modo audita sine cunctatione profert; at si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit et amisit, ut, etiamsi sæpius ingerantur, totiens tamen tamquam nova audiam. Ita ex memoria, quantum vobis satis sit, superest; neque enim de iis me interrogatis, quos ipsi audistis, sed de iis, qui ad vos usque non pervenerunt. Fiat quod vultis: mittatur senex in scholas. Illud necesse est impetrem, ne me quasi certum aliquem ordinem velitis sequi in contrahendis, quæ mihi occurrent; necesse est enim per omnia studia mea errem et passim, quidquid obvenerit, adprehendam. Non enim, dum quæro aliquid, invenio, sed sæpe, quod quærenti non comparuit, aliud agenti præsto est; quædam vero, quæ obversantia mihi et ex aliqua parte se ostendentia non possum occupare, eadem securo et reposito animo subito emergunt. Aliquando etiam seriam

rem agenti et occupato sententia diu frustra quæsita intempestive molesta est. Necesse est ergo me ad delicias componam memoriæ meæ, quæ mihi jam olim precario paret. Facitis autem, juvenes mei, rem necessariam et utilem, quod non contenti exemplis sæculi vestri prioris quoque vultis cognoscere; primum quia, quo plura exempla inspecta sunt, plus in eloquentiam proficitur. Non est unus, quamvis præcipuus sit, imitandus, quia numquam par fit imitator auctori; hæc rei natura est: semper citra veritatem est similitudo. Deinde ut possitis æstimare, in quantum quotidie ingenia decrescant et, nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit. Quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit; omnia ingenia, quæ lucem studiis nostris attulerunt, tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est, sive luxu temporum (nihil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est), sive, quum præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quæstuque vigentia, sive fato quodam, cujus maligna perpetuaque in rebus omnibus lex est, ut ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur.

(*Seneca Rhetor.*)

XV.

Babylona Semiramis condiderat, non, ut plerique credidere, Belus, cujus regia ostenditur. Muros instructus latereculo cocti bitumine interlito spatium XXXII pedum in latitudinem amplectitur; quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L cubitorum eminet spatio; turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius

operis ambitus CCCLXV stadia complectitur; singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Ædificia non sunt admota muris, sed fere spatium jugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt (per LXXX stadia habitatur), nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum ea pluribus locis spargi. Cetera serunt colunteque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrates interfluit magnaeque molis crepidinibus coercetur. Pons lapideus flumini impositus jungit urbem. Arcem quoque ambitu XX stadia complexam habent; XXX pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt, ad LXXX summum munimenti fastigium pervenit. Super arcem vulgatum Græcorum fabulis miraculum pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes multarumque arborum umbra et proceritate amœni. Saxo pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt; super pilas lapide quadrato solum stratum est patiens terræ, quam altam iniciunt, et umoris, quo rigant terram; adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine æquent, in L pedum altitudinem emineant; frugiferæ æque sunt, ut si terra sua alerentur. Et quum vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo peremat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat. Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est amore conjugis victum, quæ desiderio nemorum silvarumque in campestribus locis virum compulit amœnitatem naturæ genere hujus operis imitari. (*Curtius.*)

XVI.

Ita sapiens se contentus est, non ut velit esse sine amico, sed ut possit; et hoc, quod dico possit, tale est: amissum æquo animo fert; sine amico quidem numquam erit; in sua potestate habet, quam cito reparet. Quomodo, si perdiderit Phidias statuam, protinus alteram faciet, sic hic faciendarum amicitiarum artifex substituet alium in locum amissi. Quæris, quomodo amicum cito facturus sit. Hecaton ait: „Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama." Habet autem non tantum usus amicitiæ veteris et certæ magnam voluptatem, sed etiam initium et comparatio novæ. Quod interest inter metentem agricolam et serentem, hoc inter eum, qui amicum paravit, et qui parat. Attalus philosophus dicere solebat, jocundius esse amicum facere quam habere, quomodo artifici jocundius pingere est quam pinxisse. Illa in opere suo occupata sollicitudo ingens oblectamentum habet in ipsa occupatione. Non æque delectatur, qui ab opere perfecto removit manum: jam fructu artis suæ fruitur; ipsa fruebatur arte, quum pingeret. Fructuosior est adulescentia liberorum, sed infantia dulcior. Nunc ad propositum revertamur. Sapiens etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat: non ad hoc, quod dicebat Epicurus, ut habeat, qui sibi ægro adsideat, succurrat in vincula conjecto vel inopi, sed ut habeat aliquem, cui ipse ægro adsideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet.

(*Seneca.*)

XVII.

Si apud Athenienses, homines Græcos longe a nostrorum hominum gravitate dijunctos, non deerant,

qui rem publicam contra populi temeritatem defenderent, quum omnes, qui ita fecerant, e civitate eicerentur; si Themistoclem illum, conservatorem patriæ, non deterruit a re publica defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paulo ante servarat, neque Aristidis fuga, qui unus omnium justissimus fuisse traditur; si postea summi ejusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiæ levitatisque popularis, tamen suam rem publicam illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus, primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas et magnitudo animi videtur, tum in tanta gloria insistentes, ut omnia humana leviora videri debeant, deinde ad eam rem publicam tuendam adgressi, quæ tanta dignitate est, ut eam defendentem occidere majus sit quam oppugnantem rerum potiri? Homines Græci, quos antea nominavi, iniquæ a suis civibus damnati atque expulsi, tamen, quia bene sunt de suis civitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt non in Græcia solum, sed etiam apud nos atque in ceteris terris, ut eos, a quibus illi oppressi sunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Carthaginiensium pluris fuit Hannibale consilio, virtute, rebus gestis, qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? Hunc sui cives e civitate ejecerunt; nos etiam hostem litteris nostris et memoria videmus esse celebratum. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc rem publicam stabiliverunt; quos equidem in deorum immortalium cœtu ac numero repono. Amemus patriam, parcamus senatui, consulamus bonis; præsentes fructus neglegamus, posteritatis gloriæ serviamus; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; speremus, quæ volemus, sed, quod acciderit, feramus; cogitemus denique, corpus virorum fortium magnorumque hominum esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam; neque, hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus, cujus corpore ambusto vitam ejus et virtutem immortalitas excepisse dicatur, minus existimemus eos, qui hanc tantam rem publicam suis consiliis aut laboribus aut auxerint aut defenderint aut servarint, esse immortalem gloriam consecutos.

(*Cicero.*)

XVIII.

Pleraque eorum, quæ rettuli quæque referam, parva forsitan et levia memorata videri non nescius sum; sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut, si quando ad interna præverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor; immota quippe aut modice lacessita pax, mœstæ urbis res, et princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum sæpe rerum motus oriuntur. Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt; delecta ex his et consociata rei publicæ forma laudari facilius quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim, plebe valida vel quum patres pellerent, noscendā vulgi naturā et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium

ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic, converso statu neque alia re Romana, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci propria prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates prœliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum; nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas conjungimus, obvia rerum similitudine et satietate; tum antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cujusquam, Punicas Romanasne acies lætius extuleris; at multorum, qui Tiberio regente pœnam vel infamiam subiere, posteri manent, utque familiæ ipsæ jam exstinctæ sint, reperias qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi objectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. (*Tacitus.*)

PARTICULA II.

I.

Scipio Africanus antiquior quanta virtutum gloria præstiterit et quam fuerit altus animi atque magnificus et qua sui conscientia subnixus, plurimis rebus, quæ dixit quæque fecit, declaratum est; ex quibus sunt hæc duo exempla ejus fiduciæ atque exsuperantiæ ingentis. Quum M. Nævius tribunus plebis accusaret

eum ad populum diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut condicionibus gratiosis et mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret, et quædam item alia crimini daret indigna tali viro, tum Scipio pauca præfatus, quæ dignitas vitæ suæ atque gloria postulabat, „Memoria“ inquit, „Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Pœnum imperio vestro inimicissimum magno prœlio vici in terra Africa pacemque et victoriam vobis peperi spectabilem. Non igitur simus adversum deos ingrati et, censeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc protinus Jovi Optimo Maximo gratulatum.“ Id quum dixisset, avertit et ire ad Capitolium cœpit. Tum contio universa, quæ ad sententiam de Scipione ferendam convenerat, relicto tribuno Scipionem in Capitolium comitata atque inde ad ædes ejus cum lætitia et gratulatione sollemni prosecuta est. Fertur etiam oratio, quæ videtur habita eo die a Scipione, et, qui dicunt eam non veram, non eunt infitias, quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis. Item aliud est factum ejus præclarum. Petilii quidam tribuni plebis a Marco, ut ajunt, Catone, inimico Scipionis, comparati in eum atque immissi desiderabant in senatu instantissime, ut pecuniæ Antiochinæ prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet; fuerat enim L. Scipioni Asiatico, fratri suo, imperatori in ea provincia legatus. Ibi Scipio exsurgit et, prolato e sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ omnisque prædæ; allatum, ut palam recitaretur et ad ærarium deferretur. „Sed enim id jam non faciam“ inquit „nec me ipse adficiam contumelia“, eumque librum statim coram discidit suis manibus et concerpsit, ægre passus, quod, cui salus imperii ac rei publicæ

accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædaticiæ poscereturr. (*A. Gellius.*)

II.

Causam dicebat apud C. Julium Cæsarem ex veteranis quidam paulo violentior adversus vicinos suos et causa premebatur. „Meministi" inquit, „imperator, in Hispania talum extorsisse te circa Sucronem?" Quum Cæsar meminisse se dixisset: „Meministi" inquit, „idem, sub quadam arbore minimum umbræ spargente quum velles residere sidere ferventissimo et esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus pænulam suam substravisse?" Quum dixisset Cæsar: „Quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset", — „Potes ergo" inquit, „imperator, agnoscere illum hominem aut illam galeam?" Cæsar ait se non posse galeam agnoscere, hominem pulchre posse, et adjecit, puto obiratus, quod se a cognitione media ad veterem fabulam abduceret: „Tu utique ille non es." „Merito" inquit, „Cæsar, me non agnoscis; nam quum hoc factum est, integer eram; postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est et in capite lecta ossa. Nec galeam illam, si videris, agnosces; machæra enim Hispana divisa est." Vetuit illi exhiberi negotium Cæsar et agellos, in quibus vicinalis via causa rixæ ac litium fuerat, militi suo donavit. (*Seneca.*)

III.

Alexander in Sogdianis Peucolao cum tribus milibus peditum relicto Bactra pervenit. Inde ad ea, quæ defectione turbata erant, componenda processit, interfectisque consternationis auctoribus quarto die ad flumen Oxum perventum est. Superato deinde Oxo ad urbem Margianam pervenit. Et cetera quidem pacaverat rex: una erat petra, quam Arimazes Sogdianus triginta milibus armatorum obtinebat alimentis ante congestis, quæ tantæ multitudini vel per biennium suppeterent. Petra in altitudinem XXX eminet stadia, circuitu C et L complectitur; undique abscisa et abrupta semita peranguste aditur. In medio altitudinis spatio habet specum, cujus os artum et obscurum est; paulatim deinde interiora panduntur, intima etiam altos recessus habent. Fontes per totum fere specum manant, e quibus collecta aqua per prona montis flumen demittunt. Rex loci difficultate spectata statuerat inde abire; cupido deinde incessit animo naturam quoque fatigandi. Prius tamen, quam fortunam obsidionis experiretur, Cophen (Artabazi hic filius erat) misit ad barbaros, qui svaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus superbe multa respondit; ad ultimum, an Alexander etiam volare posset, interrogat. Quæ nuntiata regi sic accendere animum, ut adhibitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam barbari eludentis ipsos, quia pinnas non haberent; se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare. „Trecentos" inquit „perniciissimos juvenes ex suis quisque copiis perducite ad me, qui per calles et pæne invias rupes domi pecora agere consveverunt." Illi præstantes et levitate corporum et ardore animorum strenue adducunt; quos intuens rex: „Vobiscum" inquit, „o juvenes et mei æquales, urbium invictarum ante me munimenta superavi, montium juga perenni nive obruta ascensus sum, angustias Ciliciæ intravi, Indiæ sine lassitudine vim frigoris sum perpessus. Et mei documenta vobis dedi et vestra habeo. Petra, quam

videtis, unum aditum habet, quem barbari obsident, cetera negligunt; nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Invenietis viam, si sollerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo, quæ ceteri desperaverint, Asiam habemus in potestate. Evadite in cacumen, quod quum ceperitis, candidis velis signum mihi dabitis; ego copiis admotis hostem in nos a vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem; uno minus accipiet, qui proximus ei venerit, eademque ad decem homines servabitur portio. Certum autem habeo vos non tam liberalitatem intueri meam quam voluntatem."

His animis regem audierunt, ut jam cepisse verticem viderentur; dimissique ferreos cuneos, quos inter saxa deligerent, validosque funes parabant. Rex circumvectus petram, qua minime asper ac præruptus aditus videbatur, secunda vigilia, quod bene verteret, ingredi jubet. Illi, alimentis in biduum sumptis, gladiis modo atque hastis armati subire cœperunt. Ac primo pedibus ingressi sunt; deinde, ut in prærupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi levantes semet, alii adjectis funium laqueis evasere, quum cuneos inter saxa deligerent ut gradus, subinde quis insisterent. Diem inter metum laboremque consumpserunt. Per aspera enisis duriora restabant et crescere altitudo petræ videbatur. Illa vero miserabilis erat facies, quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolverentur; mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris adfecti, quidam mulcati parte membrorum; pariterque eos et nox et

somnus oppressit. Stratis passim corporibus in inviis et asperis saxorum periculi instantis obliti in lucem quieverunt; tandemque velut ex alto sopore excitati occultas subjectasque ipsis valles rimantes tum ignari, in qua parte petræ tanta vis hostium condita esset, fumum e specu infra se ipsos evolutum notaverunt, ex quo intellectum illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuere quod convenerat signum, totoque e numero duos et triginta in adscensu interisse agnoscunt.

Rex non cupidine magis potiundi loci quam vice eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus toto die cacumina montis intuens restitit; nocte demum, quum obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satis clara luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas cæli, nunc internitente lucis fulgore nunc condito; ut liquidior lux apparuit cælo, dubitatio exempta est, vocatumque Cophen, per quem barbarorum animos temptaverat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent; sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo jussit qui ceperant verticem. Cophes admissus svadere cœpit Arimazi petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione hærere non coegisset. Ille ferocius superbiusque quam antea locutus abire Cophen jubet. At is prensum manu barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat; quo impetrato juvenes in cacumine ostendit et eius superbiæ haud immerito illudens pinnas habere ait milites Alexandri. Jamque e Macedonum castris signorum concentus et totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraque belli, vana et inanis barbaros ad deditionem traxit; quippe occupati metu pauci-

tatem eorum, qui a tergo erant, æstimare non poterant. Itaque Cophen (nam trepidantes reliquerat) strenue revocant et cum eo triginta principes mittunt, qui regi petram tradant et, ut incolumibus abire liceat, paciscantur. Ille quamquam verebatur, ne conspecta juvenum paucitate deturbarent eos barbari, tamen et fortunæ suæ confisus et Arimazi superbiæ infensus nullam se conditionem deditionis accipere respondit. Arimazes, desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisque gentis suæ descendit in castra; quos omnes verberibus adfectos sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit adfigi. Multitudo deditorum incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est; Artabazus in petræ regionisque, quæ adposita esset ei, tutelam relictus. (*Curtius.*)

IV.

C. Plinius Cornelio Tacito suo S.

Ridebis, et licet rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres et quidem pulcherrimos cepi. „Ipse?" inquis. Ipse; non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam; erat in proximo non venabulum aut lancea, sed stilus et pugillares; meditabar aliquid enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non est, quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur; jam undique silvæ et solitudo ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde, quum venabere, licebit auctore me ut panarium et lagunculam sic etiam pugillares feras; experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare. Vale.

V.

C. Plinius Juniori suo S.

Castigabat quidam filium suum, quod paulo sumptuosius equos et canes emeret. Huic ego juvene digresso: „Heus tu, numquamne fecisti, quod a patre corripi posset? fecisti dico? non interdum facis, quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius fias, pari gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo sibi, in hoc alius indulget?" Hæc tibi admonitus immodicæ severitatis exemplo pro amore mutuo scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriusque tractares. Cogita et illum puerum esse et te fuisse, atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris et hominem esse te et hominis patrem. Vale.

VI.

Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata est. Paucos ante menses, quum in coloniam Capuam deducti lege Julia coloni ad exstruendas villas vetustissima sepulcra disicerent idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula aenea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inventa est, conscripta litteris verbisque Græcis hac sententia: Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore, ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cujus rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiciendo Rubicone flumine consecrarat ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum, quod non ultra Martias Idus pro-

ferretur. Ea vero nocte, cui illuxit dies cædis, et ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere, et Calpurnia uxor imaginata est collabi fastigium domus maritumque in gremio suo confodi; ac subito cubiculi fores sponte patuerunt. Ob hæc simul et ob infirmam valetudinem diu cunctatus, an se contineret et, quæ apud senatum proposuerat agere, differret, tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudum opperientes destitueret, quinta fere hora progressus est; libellumque insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis quum litare non posset, introiit curiam spreta religione Spurinnamque irridens et ut falsum arguens, quod sine ulla sua noxa Idus Martiæ adessent; quamquam is venisse quidem eas dicerat, sed non prætorisse. Adsidentem conspirati specie officii circumsteterunt, ilicoque Cimber Tillius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus propius accessit; renuentique et gesta in aliud tempus differenti ab utroque umero togam adprehendit; deinde clamantem: „Ista quidem vis est“ alter e Cascis adversum vulnerat paulum infra jugulum. Cæsar Cascæ brachium arreptum graphio trajecit; conatusque prosilire alio vulnere tardatus est; utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus et viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito; etsi tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixisse: *Καὶ σύ, τέκνον!* Exanimis, diffugientibus cunctis, aliquamdiu jacuit, donec lecticæ impositum dependente brachio tres servuli domum

rettulerunt. Fuerat animus conjuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere; sed metu M. Antonii consulis et magistri equitum Lepidi destiterunt. (*Svetonius.*)

VII.

Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani adplicavit; prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata; prima docuit majores nostros, quam præclarum esset exteris gentibus imperare; sola fuit ea fide benevolentiaque erga populum Romanum, ut civitates ejus insulæ, quæ semel in amicitiam nostram venissent, numquam posten deficerent, pleræque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque majoribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est; neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud et rei frumentariæ subsidium et receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus Carthagine deleta Siculorum urbes signis monumentisque pulcherrimis exornavit, ut, quos victoria populi Romani maxime lætari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriæ plurima collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Urbem pulcherrimam Syracusas, quæ quum mare munitissima esset tum loci natura terra ac mari claudereter, quum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriæ, mansvetudinis, continentiæ, quum homines viderent, et quid expugnasset, et quibus pepercisset, et quæ

reliquisset: tantum ille honorem habendum Siciliæ putavit, ut ne hostium quidem urbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res sic illa provincia semper usi sumus, ut, quidquid ex sese posset efferre, id modo apud eos nasci, sed domi nostræ conditum jam putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Itaque ille M. Cato Sapiens cellam penariam rei publicæ nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominabat. Nos vero experti sumus Italico maximo difficillimoque bello Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario illo majorum vetere ac referto fuisse; nam sine ullo sumptu nostro coriis, tunicis frumentoque suppeditando maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit. Quid? illa, quæ forsitan ne sentiamus quidem, judices, quanta sunt! quod multis locupletioribus civibus nostris utimur, quod habent propinquam fidelem fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. Quod commodum non mediocre rei publicæ est, tantum civium numerum tam prope ab domo tam bonis fructuosisque rebus detineri. Et quoniam quasi quædam prædia populi Romani sunt vectigalia nostra atque provinciæ, quemadmodum vos propinquis vestris prædiis maxime delectamini, sic populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ. Jam vero hominum ipsorum, judices, ea patientia, virtus frugalitasque est, ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc, quæ nunc increbruit, videantur accedere. Nihil ceterorum

simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuries; contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. (*Cicero.*)

VIII.

Quid non potest mihi persuaderi, cui persuasum est, ut navigarem? Solvi mari langvido; erat sine dubio cælum grave sordidis nubibus, quæ fere aut in aquam aut in ventum resolvuntur; sed putavi tam pauca milia a Parthenope tua usque Puteolos subripi posse quamvis dubio et impendente cælo. Itaque, quo celerius evaderem, protinus per altum ad Nesida derexi præcisurus omnes sinus. Quum jam eo processissem, ut nihil interesset, utrum irem an redirem, primum æqualitas illa, quæ me corruperat, periit; nondum erat tempestas, sed jam inclinatio maris ac subinde crebrior fluctus. Cœpi gubernatorem rogare, ut me in aliquo litore exponeret. Ajebat ille aspera esse et importuosa, nec quicquam se æque in tempestate timore quam terram. Pejus autem vexabar, quam ut mihi periculum succurreret; nausea enim me, segnis hæc et sine exitu, torquebat, quæ bilem movet nec effundit. Institi itaque gubernatori et illum, vellet nollet, coegi petere litus. Cujus ut viciniam attigimus, non exspecto, ut quicquam ex præceptis Vergilii fiat: „Obvertunt pelago proras", aut: „Ancora de prora jacitur"; memor artificii mei, vetus frigidæ cultor, mitto me in mare. Quæ putas me passum, dum per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio? Intellexi non immerito nautis terram timeri. Incredibilia sunt, quæ tulerim, quum me ferre non possem. (*Seneca.*)

IX.

Alexander omnibus in Perside compositis cogitationes in bellum Indicum vertit. Dives regio habebatur non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque, ad luxum magis quam ad magnificentiam exculta. Periti militares auro et ebore fulgere dicebant; itaque, necubi vinceretur, quum ceteris præstaret, scutis argenteas lamnas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornavit. Centum viginti milia armatorum erant, quæ regem ad id bellum sequebantur. Jamque omnibus præparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc esse maturum ratus, quonam modo cælestes honores usurparet, cœpit agitare. Jovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tamquam perinde animis imperare posset ac lingvis, jussitque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non decerat talia concupiscenti perniciosa adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes sæpius adsentatio quam hostis evertit. Nec Macedonum hæc erat culpa (nemo enim illorum quicquam ex patrio more libare sustinuit), sed Græcorum, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. Agis quidam Argivus, pessimorum carminum post Chœrilum conditor, et ex Sicilia Cleo, hic quidem non ingenii solum, sed etiam nationis vitio adulator, et cetera urbium suarum purgamenta, quæ propinquis etiam maximorumque exercituum ducibus a rege præferebantur, hi tum cælum illi aperiebant, Herculemque et Patrem Liberum et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse jactabant. (*Curtius*).

X.

Quocunque me verti, argumenta senectutis meæ video. Veneram in suburbanum meum et quercubar de impensis ædificii dilabentis; ait villicus mihi non esse neglegentiæ suæ vitium; omnia se facere, sed villam veterem esse. Hæc villa inter manus meas crevit; quid mihi futurum est, si jam putria sunt ætatis meæ saxa? Iratus illi proximam occasionem stomachandi arripio. „Apparet" inquam, „has platanos neglegi; nullas habent frondes; quam nodosi sunt et retorridi rami, quam tristes et squalidi trunci! Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret." Jurat per genium meum se omnia facere, in nulla re cessare curam suam, sed illas vetulas esse. Quod intra nos sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. — Debeo hoc suburbano meo, quod mihi senectus mea, quocunque adverteram, apparuit. Complectamur illam et amemus; plena voluptatis est, si illa scias uti. Gratissima sunt poma, quum fugiunt; pueritiæ maximus in exitu decor est; deditos vino potio extrema delectat, illa, quæ mergit, quæ ebrietati summam manum imponit; quod in se jocundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt. Jocundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps, et illam quoque in extrema ligula stantem judico habere suas voluptates; aut hoc ipsum succedit in locum voluptatium, nullis egere. Quam dulce est cupiditates fatigasse ac reliquisse! (*Seneca.*)

XI.

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit; Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere; eundem

vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Numquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discerneres, utrum imperatori an exercitui carior esset: neque Hasdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat; caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora; id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum; ea neque molli strato neque silentio arcessita; multi sæpe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens; arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps in prœlium ibat, ultimus conserto prœlio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum jus jurandum, nulla religio. *(Livius.)*

XII.

Epistula Cn. Pompeji ad senatum.

Si advorsus vos patriamque et deos penates tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi et vobis salus quæsita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc facitis, patres conscripti, quem

contra ætatem projectum ad bellum sævissimum cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hacine spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro volneribus et totiens ob rem publicam fuso sangvine? Fessus scribundo mittundoque legatos omnes opes et spes privatas meas consumpsi, quum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos immortales, utrum censetis me vicem erarii præstare an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum, quippe qui, nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi hostesque in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam submovi; per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius, patefeci. Recepi Galliam, Pyrenæum, Iacetaniam, Indigetes, et primum impetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui, hiemesque castris inter sævissimos hostes, non per oppida neque ex ambitione mea egi. Quid deinde prœlia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta et prœlium apud flumen Turiam et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt; pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; namque stipendium neutri datur, victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quæsoque ut animadvertatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus: præter maritimas civitates

ultro nobis sumptui onerique; Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat; ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi; reliqui vos estis, qui nisi subveniatis, invito praedicente me, exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredientur. (*Sallustius.*)

XIII.

Cornelio Cosso, Asinio Agrippa consulibus Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique ejus exstruerent. Qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, hujuscemodi orationem cepit: „Scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus. Ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Quum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adjungebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita omnes per provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum; et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Ego me, patres conscripti, mortalem esse et hominum officia fungi satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo; qui satis superque memoriae meae tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa,

hae pulcherrimae effigies et mansurae; nam quae saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives et deos ipsos precor, hos, ut mihi ad finem usque vitae quietam et intellegentem humani divinique juris mentem duint, illos, ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur." Perstitit que posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. Quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. (*Tacitus.*)

XIV.

C. Plinius Nonio Maximo suo S.

Nuntiatum mihi est C. Fannium decessisse, qui nuntius me gravi dolore confudit, primum quod amavi hominem elegantem, disertum, deinde quod judicio ejus uti solebam. Erat enim acutus natura, usu exercitatus, veritate promptissimus. Angit me super ista casus ipsius. Decessit veteri testamento; omisit, quos maxime diligebat, prosecutus est, quibus offensior erat. Sed hoc utcumque tolerabile; gravius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamvis enim agendis causis distringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum a Nerone; et jam tres libros absolverat, subtiles et diligentes et Latinos atque inter sermonem historiamque medios, ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur. Mihi autem videtur acerba semper et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt; qui vero posteros cogitant et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper in-

cohatum aliquid abrumpat. Gajus quidem Fannius, quod accidit, multo ante præsensit. Visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium (ita solebat); mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedisse, prompsisse primum librum, quem de sceleribus ejus ediderat, eumque ad extremum revolvisse, idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abisse. Expavit et sic interpretatus est, tamquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi; et fuit idem. Quod me recordantem miseratio subit, quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserit frustra. Occursant animo mea mortalitas, mea scripta. Nec dubito te quoque eadem cogitatione terreri pro istis, quæ inter manus habes. Proinde, dum suppetit vita, enitamur, ut mors quam paucissima, quæ abolere possit, inveniat. Vale.

XV.

Inter multos ac varios errores temere inconsulteque viventium nihil propemodum dixerim, quod magis societatem humanam turbet, quam quod beneficia nec dare scimus nec accipere. Sequitur enim, ut male collocata male deheantur; de quibus non redditis sero querimur; ista enim perierunt, quum darentur. Nec mirum est, inter plurima maximaque vitia nullum esse frequentius quam ingrati animi. Id evenire ex causis pluribus video. Prima illa est, quod non eligimus dignos, quibus tribuamus; sed nomina facturi diligenter in patrimonium et vitam debitoris inquirimus, semina in solum effetum et sterile non spargimus, beneficia sine ullo dilectu magis proicimus quam damus. Nec facile dixerim, utrum turpius sit infitiari an repetere beneficium: id enim genus hujus crediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum ultro refertur; decoquere vero fœdissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad liberandam fidem facultatibus, sed animo; reddit enim beneficium, qui libenter debet. Sed quum sit in istis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. Omnem enim gratiam corrumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus. Quis nostrum contentus fuit aut leviter rogari aut semel? quis non, quum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus et de industria non invenientibus exitum occasionem petendi abstulit et variis artibus necessitates properantes elusit, in angusto vero comprensus aut distulit, id est, timide negavit, aut promisit, sed difficulter, sed subductis supercciliis, sed malignis et vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. (*Seneca.*)

XVI.

Omnes, qui alterum, nullis impulsi inimicitiis, nulla privatim læsi injuria, nullo præmio adducti in judicium rei publicæ causa vocant, providere debent, non solum quid oneris in præsentia tollant, sed quantum in omnem vitam negotii suscipere conentur. Legem enim sibi ipsi dicunt innocentiæ, continentiæ virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt, atque eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia nisi utilitate communi. Nam qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus ejusmodi civis laudandus ac diligendus est, quod non solum ab re publica civem improbum removet, verum

etiam se ipsum ejusmodi fore profitetur ac præstat, ut sibi non modo communi voluntate virtutis atque officii, sed etiam vi quadam magis necessaria recte sit honesteque vivendum. Itaque hoc ex homine clarissimo atque eloquentissimo, L. Crasso, sæpe auditum est, quum se nullius rei tam pænitere diceret, quam quod C. Carbonem umquam in judicium vocavisset; minus enim liberas omnium rerum voluntates habebat, et vitam suam pluribus, quam vellet, observari oculis arbitrabatur. (*Cicero.*)

XVII.

Is demum dicet apte, qui non solum, quid expediat, sed etiam quid deceat, inspexerit. Nec me fugit plerumque hæc esse conjuncta; nam quod decet, fere prodest, neque alio magis animi judicum conciliari aut, si res in contrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen et hæc dissentiunt; quotiens autem pugnabunt, ipsam utilitatem vincet quod decet. Nam quis nescit nihil magis profuturum ad absolutionem Socrati fuisse, quam si esset usus illo judiciali genere defensionis et orutione summissa conciliasset judicum animos sibi crimenque ipsum sollicite redarguisset? Verum id eum minime decebat, ideoque sic egit, ut qui pœnam suam honoribus summis esset æstimaturus. Maluit enim vir sapientissimus, quod superesset ex vita, sibi perire, quam quod præterisset; et quando ab hominibus sui temporis parum intellegebatur, posterorum se judiciis reservavit, brevi detrimento jam ultimæ senectutis ævum sæculorum omnium consecutus. Itaque quamvis Lysias, qui tum in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem illi scriptam obtulisset, uti ea noluit, quum bonam quidem, sed parum sibi convenientem judicavisset. Quo vel solo patet non persvadendi, sed

bene dicendi finem oratori servandum, quum interim persvadere deforme sit. Non fuit hoc utile absolutioni, sed, quod est majus, homini fuit. Et nos secundum communem potius loquendi consvetudinem quam ipsam veritatis regulam divisione hac utimur, ut ab eo, quod deceat, utilitatem separemus: nisi forte prior ille Africanus, qui patria cedere quam cum tribuno plebis humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi videtur consuluisse, aut P. Rutilius, vel quum illo pæne Socratico genere defensionis est usus, vel quum revocante eum L. Sulla manere in exilio maluit, quid sibi maxime conduceret, nesciebat. Hi vero parva illa, quæ abjectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda judicaverunt, ideoque perpetua sæculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut, quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecumque discrimen raro admodum veniet; idem fere, ut dixi, in omni genere causarum et proderit et decebit. (*Quintilianus.*)

XVIII.

Germanicus ex Ægypto in Syriam reversus in gravem morbum incidit. Sævam vim morbi augebat persvasio veneni a Pisone accepti. Paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum alloquitur: „Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriæ intra juventam præmaturo exitu raperent. Nunc scelere Pisonis et Plancinæ interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim. Erit vobis locus querendi

apud senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed, quæ voluerit, meminisse, quæ mandaverit, exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti; vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque conjugem meam; numerate sex liberos; misericordia cum accusantibus erit, fingentibusque scelesta mandata aut non credent homines aut non ignoscent." Juravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros. Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, sævienti fortunæ summitteret animum, neu regressa in urbem æmulatione potentiæ validiores irritaret. Hæc palam, et alia secreto, per quæ ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post exstingvitur, ingenti luctu provinciæ et circumjacentium populorum. (*Tacitus.*)

XIX.

Major pars mortalium de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo ut exceptis admodum paucis ceteros in ipso vitæ adparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens vulgus ingemuit; clarorum quoque virorum hic adfectus querellas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio est, vitam brevem esse, longam artem; inde Aristotelis cum rerum natura exigentis minime conveniens sapienti viro lis: ætatis illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena sæcula educerent, homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum stare. Non exiguum temporis habemus, sed

multum perdimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem; large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac neglegentiam diffluit, ubi nulli bonæ rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam iro non intelleximus, transisse sentimus. Ita est: non accipimus brevem vitam, sed facimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplæ et regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt, ita ætas nostra bene disponenti multum patet. (*Seneca.*)

PARTICULA III.

I.

Philosophum nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum gravem atque constantem vidimus, quum Athenis essemus, deversantem in quodam tugurio extra urbem. Quumque ad eum frequenter ventitaremus, multa hercle dicere eum utiliter et honeste audivimus, in quibus id fuit, quod præcipuum auditu meminimus. Virum quidem sapientem non peccaturum esse dicebat, etiamsi peccasse eum di atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnæ aut infamiæ metu non esse peccandum censebat, sed justi honestique studio et officio. Si qui tamen non essent tali vel ingenio vel disciplina præditi, uti se vi sua ac sua sponte facile a peccando tenerent, eos omnes tunc peccare proclivius existimabat, quum latere posse id peccatum putarent impunitatemque ex ea latebra sperarent. „At si sciant" inquit „homines, nihil omnium rerum diutius posse celari, repressius pudentiusque peccabitur." Propterea versus istos So-

phoclis, prudentissimi poetarum, in ore esse habendos dicebat:

Πρὸς ταῦτα κρόπτε μηδὲν, ὃς ὁ πάνθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀνακτίσσει χρόνος.

Alius quidam veterum poetarum, cujus nomen mihi nunc memoriæ non est, Veritatem Temporis filiam esse dixit. (*A. Gellius.*)

II.

Alexander, magna Scythiæ parte in dicionem redacta, in regionem, quæ appellatur Bazaira, pervenit. Barbaræ opulentiæ in illis locis haud ulla sunt majora indicia quam magnis nemoribus saltibusque nobilium ferarum greges clusi. Spatiosas ad hoc eligunt silvas, crebris perennium aquarum fontibus amœnas; muris nemora cinguntur turresque habent venantium receptacula. Quattuor continuis ætatibus intactum saltum fuisse constabat, quem Alexander cum toto exercitu ingressus agitari undique feras jussit. Inter quas quum leo magnitudinis raræ ipsum regem invasurus incurreret, forte Lysimachus, qui postea regnavit, proximus Alexandro venabulum obicere feræ coperat. Quo rex repulso et abire jusso adjecit tam a semet uno quam a Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam, quum venarentur in Syria, occiderat quidem eximiæ magnitudinis feram solus, sed lævo umero usque ad ossa lacerato ad ultimum periculi pervenerat. Id ipsum exprobrans ei rex fortius, quam locutus est, fecit; nam feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit. Fabulam, quæ objectum leoni a rege Lysimachum temere vulgavit, ab eo casu, quem supra diximus, ortam esse crediderim. Ceterum Macedones, quamquam prospero eventu defunctus erat Alexander, tamen scivere gentis suæ

more, ne aut pedes venaretur aut sine delectis principum atque amicorum. (*Curtius.*)

III.

C. Plinius Paterno suo S.

Quanta potestas, quanta dignitas, quanta majestas, quantum denique numen sit historiæ, quam frequenter alias tum proxime sensi. Recitaverat quidam verissimum librum partemque ejus in alium diem reservaverat. Ecce amici cujusdam orantes obsecrantesque, ne reliqua recitaret. Tantus audiendi, quæ fecerint, pudor, quibus nullus faciendi, quæ audire erubescunt. Et ille quidem præstitit quod rogabatur (sinebat fides); liber tamen, ut factum ipsum, manet, manebit legeturque semper, tanto magis, quia non statim. Incitantur enim homines ad cognoscenda, quæ differuntur. Vale.

IV.

C. Plinius Hispano suo S.

Scribis Robustum, splendidum equitem Romanum, cum Atilio Scauro, amico meo, Ocriculum usque commune iter peregisse, deinde nusquam comparuisse; petis, ut Scaurus veniat vosque, si potest, in aliqua inquisitionis vestigia inducat. Veniet; vereor ne frustra. Suspicor enim tale nescio quid Robusto accidisse, quale aliquando Metilio Crispo, municipi meo. Huic ego ordines impetraveram atque etiam proficiscenti quadraginta milia nummum ad instruendum se ornandumque donaveram; nec postea aut epistulas ejus aut aliquem de exitu nuntium accepi. Interceptusne sit a suis an cum suis, dubium; certe non ipse, non quisquam ex servis ejus apparuit, ut ne Robusti quidem. Experiamur tamen, accersamus Scaurum; de-

mus hoc tuis, demus optimi adulescentis honestissimis precibus, qui pietate mira, mira etiam sagacitate patrem quærit. Di faveant, ut sic inveniat ipsum, quemadmodum jam, cum quo fuisset, invenit! Vale.

V.

Omnibus regibus, quibuscum populus Romanus bellum gessit, anteponendus est Mithridates, rex Ponti; quem L. Sulla cum bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit; quem L. Murena vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit; qui rex, sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum spe conatuque valuit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis conjuncturum putaret. Ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur, alterius res et terra et mari calamitosæ vehementer et opes regis et nomen auxerunt; L. Luculli vero res tantæ exstiterunt, ut neque majus bellum commemorari possit neque majore consilio et virtute gestum. Nam quum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiæ januam fore putasset, qua effracta et revulsa tota pateret provincia, ita perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, ut et urbs fidelissimorum sociorum defenderetur et omnes copiæ regis diuturnitate obsessionis consumerentur. Neque illa pugna navalis ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine et parva dimicatione commissa est. Mitto prœlia, prætereo oppugnationes oppidorum. Expulsus regno tandem aliquando tantum tamen

consilio atque auctoritate valuit, ut sibi rege Armeniorum adjuncto novis opibus copiisque bellum renovarit. (*Cicero.*)

VI.

Notus est ille tyrannicida, qui imperfecto opere comprehensus et ab Hippia tortus, ut conscios indicaret, circumstantes amicos tyranni nominavit quibusque maxime caram salutem ejus sciebat; et, quum ille singulos, ut nominati erant, occidi jussisset, interroganti, ecquis superesset, „Tu“ inquit „solus; neminem enim alium, cui carus esses, reliqui.“ Effecit ira, ut tyrannus tyrannicidæ manus accommodaret et præsidia sua gladio suo cæderet. Quanto animosius Alexander! qui quum legisset epistulam matris, qua admonebatur, ut a veneno Philippi medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit; plus sibi de amico suo credidit. Hoc eo magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ fuit; quo rarior autem moderatio in regibus, hoc laudanda magis est. Fecit hoc et C. Cæsar ille, qui victoria civili clementissime usus est. Quum scrinia deprendisset epistularum ad Cn. Pompejum missarum ab iis, qui videbantur aut in diversis aut in neutris fuisse partibus, combussit; quamvis moderate soleret irasci, maluit tamen non posse; gratissimum putavit genus veniæ nescire, quid quisque peccasset. Plurimum mali credulitas facit; sæpe ne audiendum quidem est, quoniam in quibusdam rebus satius est decipi quam diffidere. (*Seneca.*)

VII.

Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior. Itaque quum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum et

multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium quam auctores beneficii, Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est; quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat. E qua pulsus collegæ optimatiumque viribus quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus consulatus ei abrogatus est, suffectusque in ejus locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Hæc injuria homine quam exemplo dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam spe largitionis militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Is quum universus in verba ejus jurasset, retinens insignia consulatus patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, e quorum dilectu trecentas amplius cohortes conscripserat ac triginta legionum instar impleverat. Opus erat partibus auctoritate, cujus augendæ gratia C. Marium cum filio de exilio revocavit quique cum iis pulsi erant. Cinna et Marius haud incruentis utrimque certaminibus editis urbem occupaverunt, sed prior ingressus Cinna de recipiendo Mario legem tulit. Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit mœnia. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta; neque licentia gladiorum in mediocres sævitum, sed excelsissimi quique atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus adfecti. In iis consul Octavius, vir lenissimi animi, jussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnæ consulatu abdicaverat, incisis venis superfusoque altaribus sangvine, quos sæpe pro salute rei publicæ flamen Dialis precatus erat deos, eos in exsecrationem Cinnæ partiumque ejus tum precatus optime de re publica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos

ipsos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cinnæque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce harenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant præcipitia in re publica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut sævitiæ causam avaritia præberet, et modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur et, qui fuisset locuples, fieret is nocens, suique quisque periculi merces foret, nec quicquam videretur turpe, quod esset quæstuosum. Secundum deinde consulatum Cinna et septimum Marius in priorum dedecus iniit, cujus initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus quietisque impatientissimus. Dominante in Italia Cinna major pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis præfectis circa Athenas Bœotiamque et Macedoniam ita dimicavit, ut et Athenas reciperet et, plurimo circa multiplices Piræi portus munitiones labore expleto, amplius ducenta milia hostium interficeret nec minus multa caperet. Transgressus deinde in Asiam parentem ad omnia supplicemque Mithridatem invenit, quem multatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coegit, paternis, id est Ponticis, finibus esse contentum jussit, captivos recepit, in perfugas noxiosque animadvertit. Tum compositis transmarinis rebus revectus in Italiam haud plura quam triginta armatorum milia adversum

ducenta amplius hostium exposuit Brundusii. Vix quicquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quam quod, quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit nec, quod erat in manibus, omisit, existimavitque ante frangendum hostem quam ulciscendum civem. Ante adventum Sullæ Cinna seditione orta ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum morereturquam iracundia militum; de quo vere dici potest, ausum esse eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ a nullo nisi fortissimo perfici possent, et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. (*Vellejus Paterculus.*)

VIII.

Gratissima sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla mora fuit nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cujusque, proximum sequi; illud melius, occupare ante quam rogemur, quia, quum homini probo ad rogandum os concurrat et subfundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, quum rogasset, accepit, quoniam quidem, ut majoribus nostris gravissimis viris visum est, nulla res carius constat quam quæ precibus empta est. Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent; adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et intra nosmet ipsos precari. Molestum verbum est, onerosum, demisso vultu dicendum: Rogo. Hujus facienda est gratia amico et quemcumque amicum sis promerendo facturus; properet licet, sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cujusque voluntas et, quum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est; illud

beneficium jocundum victurumque in animo scias, quod obviam venit. Si non contigit prævenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur, sed certiores facti. Statim promittamus facturosque nos, etiam ante quam interpellemur, ipsa festinatione adprobemus. Quemadmodum in ægris opportunitas cibi salutaris est, et aqua tempestive data remedii locum obtinuit, ita, quamvis leve et vulgare beneficium est, si præsto fuit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adicit gratiamque pretiosi sed lenti et diu cogitati muneris vincit. Qui tam parate facit, non est dubium, quin libenter faciat; itaque lætus facit et induit sibi animi sui vultum. (*Seneca.*)

IX.

Alexander devictis Scythis Maracanda reversus rebelles Sogdianos omni clade ultus est. Sogdiana regio majore ex parte deserta est: octingenta fere stadia in latitudinem vastæ solitudines tenent. Ingens spatium rectæ regionis est, per quam amnis (Polytimetum vocant incolæ) fertur. Torrentem eum ripæ in tenuem alveum cogunt; deinde caverna accipit et sub terram rapit. Cursus absconditi indicium est aquæ meantis sonus, quum ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet umore. Ex captivis Sogdianorum ad regem triginta nobilissimi corporum robore eximio perducti erant; qui ut per interpretem cognoverunt jussu regis ipsos ad supplicium tradi, carmen lætantium modo canere tripudiisque et lasciviori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus eos rex tanta magnitudine animi oppetere mortem revocari jussit, causam tam effusæ lætitiæ, quum supplicium ante oculos haberent, requirens. Illi, si ab alio occiderentur, tristes

morituros fuisse respondent; nunc a tanto rege, victore omnium gentium, majoribus suis redditos honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris lætitiaque celebrare. Tum rex: „Quæro" inquit, „an vivere velitis non inimici mihi, cujus beneficio victuri estis." Illi numquam se inimicos ei, sed bello lacessitos hostes fuisse respondent; si quis ipsos beneficio quam injuria experiri maluisset, certaturos fuisse, ne vincerentur officio. Interrogantique, quo pignore fidem obligaturi essent, vitam, quam acciperent, pignori futuram esse dixerunt; reddituros, quandoque repetisset. Nec promissum fefellerunt; nam qui remissi domos erant, fide continuere populares; quattuor inter custodes corporis retenti nulli Macedonum in regem caritate cesserunt. (*Curtius.*)

X.

C. Plinius Macrino suo S.

Here a senatu Vestricio Spurinnæ principe auctore triumphalis statua decreta est; non ita, ut multis, qui numquam in acie steterunt, numquam castra viderunt, numquam denique tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt, verum ut illis, qui decus istud sudore et sangvine et factis adsequebantur. Nam Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, ostentatoque bello ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit. Et hoc quidem virtutis præmium, illud solacium doloris accepit, quod filio ejus Cottio, quem amisit absens, habitus est honor statuæ. Rarum id in juvene; sed pater hoc quoque merebatur, cujus gravissimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Præterea Cottius ipse tam claræ specimen indolis dederat, ut vita ejus brevis et angusta debuerit hac velut

immortalitate proferri. Nam tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senes illos provocare virtute, quibus nunc honore adæquatus est. Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriæ, dolori patris, verum etiam exemplo prospectum est. Acuent ad bonas artes juventutem adulescentibus quoque, digni sint modo, tanta præmia constituta; acuent principes viros ad liberos suscipiendos et gaudia ex superstitibus et ex amissis tam gloriosa solacia. His ex causis statua Cottii publice lætor, nec privatim minus. Amavi consummatissimum juvenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro. Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem ejus subinde intueri, subinde respicere, sub hac consistere, præter hanc commeare. Etenim si defunctorum imagines domi positæ dolorem nostrum levant, quanto magis hæ, quibus in celeberrimo loco non modo species et vultus illorum, sed honor etiam et gloria refertur! Vale.

XI.

Sæpe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiæ studium. Nam quum et nostræ rei publicæ detrimenta considero et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum; quum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intellego quum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam

ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriæ civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro iis propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur. Ac si volumus hujus rei, quæ vocatur eloquentia, sive artis sive studii sive exercitationis cujusdam sive facultatis ab natura profectæ considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant; nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam inspexerat liberos; non, jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et sapiens, cognovit, quæ materies et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et præcipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agris et in tectis silvestribus abditos ratione quadam compulit unum in locum et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius

audientes, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret et ad diversas vitæ rationes traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere et justitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quæ ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo nisi gravi ac suavi commotus oratione, quum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere, ut, inter quos posset excellere, cum his se pateretur æquari et sua voluntate a jucundissima consuetudine recederet, quæ præsertim jam naturæ vim obtineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata; postquam vero calliditas quædam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii dicendi copiam consecuta est, tum ingenio freta malitia pervertere urbes et vitas hominum labefactare adsuevit. *(Cicero.)*

XII.

Quomodo hoc ad me pervenerit, quæris, quis mihi id te cogitare narraverit, quod tu nulli narraveras. Is, qui scit plurimum, rumor. „Quid ergo?“ inquis; „tantus sum, ut possim excitare rumorem?“ Non est quod te ad hunc locum respiciens metiaris; ad istum respice, in quo moraris. Quidquid inter vicina eminet, magnum est illic, ubi eminet; nam magnitudo habet modum incertum: comparatio illam aut

tollit aut deprimit. Navis, quæ in flumine magna est, in mari parvula est; gubernaculum, quod alteri navi magnum, alteri exiguum est. Tu nunc in provincia, licet contemnas ipse te, magnus es; quid agas, quemadmodum cenes, quemadmodum dormias, quæritur, scitur; eo tibi diligentius vivendum est. Tunc autem felicem esse te judica, quum poteris vivere in publico, quum te parietes tui tegent, non abscondent; quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros: vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit; sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se et oculos hominum aureque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, quum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! (*Seneca.*)

XIII.

Bessus Alexandri celeritate perterritus, dis patriis sacrificio rite facto, sicut illis gentibus mos est, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultabat. Graves mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem nunc paucitatem spernere incipiunt. Præcipue Bessus, ferox verbis et parto per scelus regno superbus ac vix potens mentis, dicere orditur: socordia Darei crevisse hostium famam; occurrisse enim in Ciliciæ angustissimis faucibus, quum retro cedendo posset perducere incautos in loca natura sibi tuta, tot fluminibus objectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis ne fugæ quidem, nedum

resistendi occasionem fuerit habiturus; sibi placere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut murum objecturum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent; venturos autem Chorasmios et Dahas Sacasque et Indos et ultra Tanain amnem colentes Scythas, quorum neminem adeo humilem esse, ut umeri ejus non possent Macedonis militis verticem æquare. Conclamant temulenti unam hanc sententiam salubrem esse, et Bessus circumferri merum largius jubet, debellaturus super mensam Alexandrum. Erat in eo convivio Cobares, natione Medus, sed magicæ artis (si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium) magis professione quam scientia celeber, alioqui moderatus et probus. Is quum præfatus esset scire, servo utilius esse parere dicto quam adferre consilium, quum illos, qui pareant, idem quod ceteros maneat, qui vero svadeant, proprium sibi periculum contrahant, Bessus eum intrepidum dicere jussit, poculum etiam, quod habebat in manu, tradidit. Quo accepto Cobares: „Natura" inquit „mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio behetior est quam in alieno. Turbida sunt consilia eorum, qui sibi svadent; obstat metus, alias cupiditas, nonnumquam naturalis eorum, quæ excogitaveris, amor. Magnum onus sustines capite, regium insigne; hoc aut moderate perferendum est aut, quod abominor, in te ruet. Consilio, non impetu opus est." Adicit deinde, quod apud Bactrianos vulgo usurpabant, canem timidum vehementius latrare quam mordere, altissima quæque flumina minimo sono labi. His audientium exspectationem suspenderat; tum consilium aperit utilius Besso quam gratius. „In vestibulo" inquit „regiæ tuæ velocissimus consistit rex; ante ille agmen quam tu mensam istam movebis. Nunc ab

Tanai exercitum accerses et armis flumina oppones? Scilicet, qua tu fugitarus es, hostis sequi non potest! Iter utrique commune est, victori tutius; licet strenuum metum putes esse, velocior tamen spes est. Quin validioris occupas gratiam dedisque te, utcumque cesserit, meliorem fortunam deditus quam hostis habiturus? Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. Incipies forsitan justus esse rex, quum ipse fecerit, qui tibi et dare potest regnum et eripere. Consilium habes fidele, quod diutius exsequi supervacuum est. Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur, ignavus ne calcari quidem concitari potest." Bessus et ingenio et multo mero ferox adeo exarsit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum (nam strinxerat quoque acinacem), contineretur; certe e convivio prosiluit haudquaquam potens mentis. Cohares inter tumultum elapsus ad Alexandrum transfugit. (*Curtius.*)

XIV.

Gloria umbra virtutis est; etiam invitam comitabitur. Sed quemadmodum umbra aliquando antecedit, aliquando a tergo est, ita gloria aliquando ante nos est visendamque se præbet, aliquando in averso est, majorque, quo serior, ubi invidia secessit. Quam diu videbatur furere Democritus! vix recepit Socraten fama. Quam diu Catonem civitas ignoravit! respuit nec intellexit, nisi quum perdidit. Rutilii innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset injuriam; dum violatur, effulsit. Numquid non sorti suæ gratias egit et exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustravit fortuna, dum vexat; quam multorum profectus in notitiam evasere post ipsos! quam multos fama non excepit, sed eruit! Vides, Epicurum quanto opere non tantum eruditiores, sed hæc quoque imperitorum turba miretur; hic ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque jam annis Metrodoro suo superstes in quadam epistula, quum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, hoc novissime adjecit: nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Græcia non ignotos solum habuisset, sed pæne inauditos. Numquid ergo non, postea quam esse desierat, inventus est? numquid non opinio ejus enituit? Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur: se et Epicurum non satis cognoscisse, sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros, qui voluissent per eadem ire vestigia. Nulla virtus latebit, et latuisse non ipsius est damnum; veniet, qui conditam et sæculi sui malignitate compressam dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat; multa annorum milia, multa populorum supervenient; ad illa respice; etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient, qui sine offensa, sine gratia judicent. Si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo; tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit. (*Seneca.*)

XV.

Villicus qualis esse debeat, L. Columella in libro undecimo de re rustica disserit, cujus disputationis hoc est initium. Villicum fundo familiæque præponi convenit ætatis nec primæ nec ultimæ; nam servitia sic tirunculum contemnunt ut senem, quoniam alter nondum novit opera ruris, alter exsequi jam non potest, atque hunc adulescentia neglegentem, senectus illum facit pigrum. Media igitur ætas huic officio est aptissima, poteritque ab anno tricesimo usque in sexa-

gesimum, si non interveniant fortuita corporis vitia, satis validi fungi muneribus agricolæ. Quisquis autem destinabitur huic negotio, sit oportebit idem scientissimus robustissimusque, ut et doceat subjectos et ipse commode faciat, quæ præcipit, si quidem nihil recte sine exemplo docetur [aut discitur], decetque villicum magistrum esse operariorum, non discipulum, quum etiam de patrefamilias prisci moris exemplum M. Cato dixerit: „Male agitur cum domino, quem villicus docet." Itaque in Œconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit, (vir egregius ille) Ischomachus Atheniensis rogatus a Socrate, utrumne, si res familiaris desiderasset, mercari villicum tamquam fabrum an a se instituere consueverit, „Ego vero" inquit „ipse instituo; etenim, qui me absente in meum locum substituitur et vicarius meæ diligentiæ succedit, is eadem, quæ ego, scire debet." Quare a pueritia rusticis operibus educandus multisque (prius) experimentis inspiciendus erit futurus villicus, nec solum, an perdidicerit disciplinam ruris, sed etiam, an domino fidem ac benevolentiam exhibeat, sine quibus nihil prodest villici vel summa scientia.

XVI.

Oratori gratia habenda est Simonidi illi Ceo, quem primum ferunt artem memoriæ protulisse. Dicunt enim, cum cenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos æque laudasset, peteret, si ei vide-

retur. Paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: juvenes stare ad januam duo quosdam, qui eum magno opere evocarent; surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem; hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse. Quos quum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur ordinem esse maxime, qui memoriæ lumen adferret; itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos et ea, quæ memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his locis collocanda; sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notarent, atque ut locis pro cera, simulacris pro litteris uteremur. Qui sit autem oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? Soli, qui memoria vigent, sciunt, quid et quatenus et quomodo dicturi sint, cui responderint, quid supersit; iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. Atque confiteor equidem hujus boni naturam esse principem, sicut rerum omnium; verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut non dispositis notatisque rebus ordinem verborum aut sententiarum complectatur, neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides sive alius quis invenit, ea maxime animis adfigi nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa; acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi; quare facillime animo teneri posse ea, quæ perciperentur auribus aut cogitatione,

si etiam oculorum commendatione animis traderentur, ut res cæcas et ab adspectus judicio remotas conformatio quædam et imago et figura ita notaret, ut ea, quæ cogitando complecti vix possemus, intuendo quasi teneremus. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quæ sub adspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est: etenim corpus intellegi sine loco non potest. Quare locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis; imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere celeriterque percutere animum possint. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines et divina prope memoria, Athenis Charmadam, in Asia Scepsium Metrodorum, quorum uterque, tamquam litteris in cera, sic se ajebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quæ meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non erucenda memoria est, si est nulla naturalis; sed certe, si latet, evocanda est. (*Cicero.*)

XVII.

Prodita Pisoniana conjuratione quum jam multi ex conjuratis interfecti essent, secuta est cædes Annæi Senecæ, lætissimo Nerone, non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum, quo antea eum petierat, non processerat. Solus quippe ex conjuratis Natalis et hactenus prompsit, missum se ad ægrotum Senecam, uti viseret conquereretur que, cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent; et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitati Pisonis inniti. Hæc ferre Gavius Silvanus tribunus prætoriæ cohortis et, an dicta Natalis suaque responsa noscere t, percontari Senecam jubetur. Is (forte an prudens?) ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum sæpsit; tum ipsi cum Pompeja Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis, quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit; cur salutem suam privati hominis incolumitati niti diceret, causam non habuisse, nec sibi promptum in adulationes ingenium; idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ quam servitium expertus esset. Ubi hæc a tribuno relata sunt Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus aut vultu deprensum confirmavit. Ergo regredi et indicere mortem jubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo, quo venerat, itinere redisse tribunum, sed flexisse ad Fœnium præfectum prætorio et expositis Cæsaris jussis, an obtemperaret, interrogavisse monitumque ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. Nam et Silvanus inter conjuratos erat augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat; voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitæ suæ

relinquere testator, cujus si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiæ laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis ad firmitudinem revocat, rogitans, ubi præcepta sapientiæ, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia; cui enim ignaram fuisse sævitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adiceret. Ubi hæc atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem (et paululum adversus præsentem formidinem mollitam) rogat oratque, temperaret dolorem æternum suscipere, sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ desiderium mariti solaciis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret, „Vitæ" inquit „delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis; non invidebo exemplo; sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine." Post quæ eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sangvini præbebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit; sævisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo ejus tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et, novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus plerasque tradidit, quæ in vulgus edita ejus verbis invertere supersedeo. At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem ejus jubet. Tum hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sangvinem, incertum

an ignaræ; nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitioris spe blandimentis vitæ evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annæum, diu sibi amicitiæ fide et arte medicinæ probatum, orat, provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio exstingverentur, promeret, adlatumque hausit frustra, frigidus jam artus et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem illum Jovi liberatori. Exin balneo illatus et vapore ejus exanimatus sine ullo funeris sollemni crematur; ita codicillis præscripserat, quum etiam tum prædives et præpotens supremis suis consuleret. (*Tacitus.*)

XVIII.

Exspecto epistulas tuas, quibus mihi indices, circuitus Siciliæ totius quid tibi novi ostenderit, et omnia de ista Charybdi certiora. Nam Scyllam saxum esse et quidem non terribile navigantibus optime scio; Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero. Et si forte observaveris (dignum est autem, quod observes), fac nos certiores, utrum uno tantum vento agatur in vertices, an omnis tempestas æque mare illud contorqueat, et an verum sit, quidquid illo freti turbine abreptum sit, per multa milia trahi conditum et circa Tauromenitanum litus emergere. Si hæc mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Ætnam quoque ascen-

das; quam consumi et sensim subsidere ex hoc colligunt quidam, quod aliquando longius navigantibus solebat ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo descendit, sed quia ignis evanuit et minus vehemens ac largus effertur, ob eandem causam fumo quoque per diem segniore. Neutrum autem incredibile est, nec montem, qui devoretur quotidie, minui, nec ignem non manere eundem, quia non ipsum exest, sed in aliqua inferna valle conceptus exæstuat et aliis pascitur, in ipso monte non alimentum habet, sed viam. In Lycia regio notissima est (Hephæstion incolæ vocant), foratum pluribus locis solum, quod sine ullo nascentium damno ignis innoxius circumit. Læta itaque regio est et herbida, nihil flammis adurentibus, sed tantum vi remissa ac langvida refulgentibus. Sed reservemus ista, tunc quæsituri, quum tu mihi scripseris, quantum ab ipso ore montis nives absint, quas ne æstas quidem solvit; adeo tutæ sunt ab igne vicino. (*Seneca.*)

PARTICULA IV.

I.

Cæsar moderationem clementiamque quum in administratione tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompejo pro hostibus se habiturum, qui rei publicæ defuissent, ipse medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeji ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis condicionibus, quum

adsiduo inter utrasque partes usu atque commercio Afranius et Petrejus deprehensos intra castra Julianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamavit, ut civibus parceretur, deincepsque nemini non suorum, quem vellet, unum partis adversæ servare concessit; nec ulli perisse nisi in prœlio reperientur, exceptis dumtaxat Afranio et Fausto et L. Cæsare juvene; ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant. Denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit magistratusque et imperia capere. Sed et statuas L. Sullæ atque Pompeji a plebe dejectas reposuit. Ac si qua posthac aut cogitarentur gravius adversus se aut dicerentur, inhibere maluit quam vindicare. Itaque et detectas conjurationes conventusque nocturnos non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet esse sibi notas, et acerbe loquentibus satis habuit pro contione denuntiare, ne perseverarent, Auliquc Cæcinæ criminosissimo libro et Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit. (*Svetonius.*)

II.

Ad Prusiam regem legatus T. Quinctius Flamininus venit, quem suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal et bellum adversus Eumenem motum faciebat. Ibi, seu quia a Flaminino inter cetera objectum Prusiæ erat, hominem omnium, qui viverent, infestissimum populo Romano apud eum esse, qui patriæ suæ primum, deinde, fractis ejus opibus, Antiocho regi auctor belli adversus populum Romanum fuisset, seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur præsenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi ejus in potestatem consilium cepit, a primo

colloquio Flaminini milites extemplo ad domum Hannibalis custodiendam missi sunt. Semper talem exitum vitæ suæ Hannibal prospexerat animo, et Romanorum inexpiabile odium in se cerneus et fidei regum nihil sane fretus; Prusiæ vero levitatem etiam expertus erat; Flaminini quoque adventum velut fatalem sibi horruerat. Ad omnia undique infesta ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus e domo fecerat, et ex iis quosdam occultos, ne custodia sæpirentur. Sed grave imperium regum nihil inexploratum, quod vestigari volunt, efficit; totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt, ut nemo inde elabi posset. Hannibal, postquam est nuntiatum milites regios in vestibulo esse, postico, quod devium maxime atque occultissimi exitus erat, fugere conatus, ut id quoque occursu militum obsæptum sensit et omnia circa clausa custodiis dispositis esse, venenum, quod multo ante præparatum ad tales habebat casus, poposcit. „Liberemus" inquit „diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis exspectare longum censent. Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret. Mores quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno caveret, prædixerunt; hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt." Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiæ et hospitales deos violatæ ab eo fidei testes invocans poculum exhausit. Hic vitæ exitus fuit Hannibalis. (*Livius.*)

III.

Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed ira pravus et cui placebat pro constantia rigor. Is quum iratus duci jussisset eum, qui ex

commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, rogauti tempus aliquod ad conquirendum non dedit. Damnatus extra vallum productus est et jam cervicem porrigebat, quum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus condere gladium speculatorem jubet, damnatum ad Pisonem reducit redditurus Pisoni innocentiam; nam militi fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens Piso ac jubet duci utrumque, et eum militem, qui non occiderat, et eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. Piso adjecit et tertium; nam ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci jussit. Constituti sunt in eodem loco perituri tres ob unius innocentiam. O quam sollers est iracundia ad fingendas causas furoris! „Te" inquit „duci jubeo, quia damnatus es; te, quia causa damnationis commilitoni fuisti; te, quia jussus occidere imperatori non paruisti." Excogitavit, quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. Habet, inquam, iracundia hoc mali: non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuit. (*Seneca.*)

IV.

Quum Cæsar propius Pontum finesque Gallogræciæ accessisset, Dejotarus, tetrarches Gallogræciæ tunc quidem pæne totius, quod ei neque legibus neque moribus concessum esse ceteri tetrarchæ contendebant, sine dubio autem rex Armeniæ minoris ab senatu appellatus, depositis regiis insignibus neque tantum privato vestitu sed etiam reorum habitu supplex ad Cæsarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quod

in ea parte positus terrarum, quæ nulla præsidia Cæsaris habuisset, exercitus verbis imperiisque in Cn. Pompeji castris fuisset; neque enim se debuisse judicem esse controversiarum populi Romani, sed parere præsentibus imperiis. Contra quem Cæsar quum plurima sua commemorasset officia, quæ consul ei decretis publicis tribuisset, quumque defectionem ejus nullam posse excusationem imprudentiæ recipere coarguisset, quod homo tantæ prudentiæ ac diligentiæ scire potuisset, quis urbem Italiamque teneret, ubi senatus populusque Romanus, ubi res publica esset, qui denique post L. Lentulum, C. Marcellum consules, tamen se concedere id factum superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitiæ, dignitati ætatique hominis, precibus eorum, qui frequentes concurrissent hospites atque amici Dejotari ad deprecandum; de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit; regium vestitum ei restituit. (*Auctor belli Alexandrini.*)

V.

Dareus, nuntiata Memnonis morte haud secus, quam par erat, motus, omissa omni alia spe, statuit ipse decernere; quippe, quæ per duces suos acta erant, cuncta damnabat, ratus pluribus curam, omnibus afuisse fortunam. Igitur castris ad Babylona positis, quo majore animo capesserent bellum, universas vires in conspectum dedit et circumdato vallo, quod decem milium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit. Ab orto sole ad noctem agmina, sicut discripta erant, intravere vallum. Inde emissa occupaverunt Mesopotamiæ campos, equitum peditumque propemodum innumerabilis turba, majorem quam pro numero speciem ferens. Cujus tum universæ multitudinis aspectu admodum lætus, purpuratis

solita vanitate spem ejus inflantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum et ob exilium infestum Alexandro (quippe Athenis jubente eo fuerat expulsus), percontari cœpit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem. At ille et suæ sortis et regiæ superbiæ oblitus: „Verum" inquit „et tu forsitan audire noles et ego, nisi nunc dixero, alias nequiquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium totius Orientis excita sedibus suis moles finitimis potest esse terribilis; nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam, qui oculis non subjecere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies, torva sane et inculta, clipeis hastisque immobiles cuneos et conferta robora virorum tegit. Ipsi phalangem vocant, peditum stabile agmen: vir viro, armis arma conserta sunt; ad nutum monentis intenti sequi signa, ordines servare didicerunt; quod imperatur, omnes exaudiunt; obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam non duces magis quam milites callent. Ac ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit; fatigatis humus cubile est; cibus, quem occupati parant, satiat; tempora somni artiora quam noctis sunt. Iam Thessali equites et Acarnanes Ætolique, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis repellentur! Pari robore opus est. In illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt; argentum istud illuc atque aurum ad conducendum militem mitte." Erat Dareo mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens hospitem ac supplicem, tunc quum maxime utilia suadentem, abstrahi jussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus: „Habeo" inquit „paratum mortis meæ ultorem; expetet pœnas consilii mei spreti is ipse, contra quem tibi

svasi. Tu quidem licentia regni tam subito mutatus documentum eris posteris, homines, quum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere." Hæc vociferantem, quibus imperatum erat, jugulant. Sera deinde pœnitentia subiit regem, ac vera dixisse confessus sepeliri eum jussit. (*Curtius.*)

VI.

Alexandro Macedoni, quum victor Orientis animos supra humana tolleret, Corinthii per legatos gratulati sunt et civitate illum sua donaverunt. Quum risisset hoc Alexander officii genus, unus ex legatis: „Nulli" inquit „civitatem umquam dedimus alii quam tibi et Herculi." Libens accepit delatum honorem et legatos invitatione aliaque humanitate prosecutus est; cogitavit, non qui sibi civitatem darent, sed cui dedissent; et homo gloriæ deditus, cujus nec naturam nec modum noverat, Herculis Liberique vestigia sequens ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant, ad socium honoris sui respexit a dantibus, tamquam cælum, quod mente vanissima complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur. Quid enim illi simile habebat vesanus adulescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit; orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando, quidquid vinceret, malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator; at hic a pueritia latro gentiumque vastator, tam hostium pernicies quam amicorum, qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri ob malum virus. (*Seneca.*)

VII.

C. Plinius Maximo suo S.

Amor in te meus cogit, non ut præcipiam (neque enim præceptore eges), admoneam tamen, ut, quæ scis, teneas et observes (aut nescire melius). Cogita te missum in provinciam Achaiam, illam veram et meram Græciam, in qua (primum) humanitas, litteræ, etiam fruges inventæ esse creduntur, missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui jus a natura datum virtute, meritis, amicitia, fœdere denique et religione tenuerunt. Reverere conditores heroes et numina deorum; reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra. Sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque. Nihil ex cujusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex jactatione decerpseris. Habe ante oculos hanc esse terram, quæ nobis miserit jura, quæ leges non victis, sed petentibus dederit; Athenas esse, quas adeas, Lacedæmonem esse, quam regas; quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere durum, ferum, barbarum est. Vides a medicis, quamquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Recordare, quid quæque civitas fuerit, non ut despicias, quod esse desierit; absit superbia, asperitas. Nec timueris contemptum; an contemnitur, qui imperium, qui fasces habet, nisi humilis et sordidus et qui se primus ipse contemnit? Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio adquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor; nam timor abit, si recedas, manet amor, ac sicut ille

in odium, hic in reverentiam vertitur. Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officii tui titulum ac tibi ipsum interpretari, quale quantumque sit ordinare statum liberarum civitatum. Nam quid ordinatione civilius? quid libertate pretiosius? porro quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur! Accedit, quod tibi certamen est tecum: onerat te quæsturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam revexisti, onerat testimonium principis, onerat tribunatus, prætura atque hæc ipsa legatio quasi præmium data. Quo magis nitendum est, ne in longinqua provincia quam suburbana, ne inter servientes quam liberos, ne sorte quam judicio missus, ne rudis et incognitus quam exploratus probatusque humanior, melior, peritior fuisse videaris, quum sit alioqui, ut sæpe audisti, sæpe legisti, multo deformius amittere quam non adsequi laudem. Hæc velim credas, quod initio dixi, scripsisse me admonentem, non præcipientem; quamquam præcipientem quoque. Quippe non vereor, in amore ne modum excesserim; neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Vale.

VIII.

Favorinum philosophum, quum in hospitis sui Antiatem villam æstu anni concessisset, nosque ad eum videndum Roma venissemus, memini super Pindaro poeta et Vergilio in hunc ferme modum disserere: „Amici" inquit „familiaresque P. Vergilii in iis, quæ de ingenio moribusque ejus memoriæ tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino; namque ut illa bestia fetum ederet inefficiatum informemque lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret, proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et imperfecta, sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et vultus lineamenta. Hoc virum judicii subtilissimi ingenuæ atque vere dixisse res" inquit „indicium facit; nam quæ reliquit perfecta expolitaque, quibusque imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticæ venustatis laude florent; sed quæ procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors præverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque judicio digna sunt. Itaque quum morbo oppressus adventare mortem videret, petivit oravitque a suis amicissimis impense, ut Æneida, quam nondum satis climavisset, adolerent. In his autem" inquit, „quæ videntur retractari et corrigi debuisse, is maxime locus est, qui de monte Ætna factus est. Nam quum Pindari veteris poetæ carmen, quod de natura atque flagrantia montis ejus compositum est, æmulari vellet, ejusmodi sententias et verba molitus est, ut Pindaro quoque, qui nimis opima pingvique esse facundia existimatus est, insolentior hoc quidem in loco turgidiorque sit."

(*A. Gellius.*)

IX.

Ad amicitiam fert sapientem nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio; nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiæ. Quomodo solitudinis odium est et adpetitio societatis, quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum adpetentes faciat. Nihilo minus, quum sit amicorum amantissimus, quum illos sibi comparet, sæpe præferat, omne intra se bonum terminabit et dicet, quod Stilbon ille dixit. Hic enim capta patria, amissis liberis, amissa uxore quum ex

incendio publico solus et tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, numquid perdidisset, „Omnia" inquit „bona mea mecum sunt". Ecce vir fortis ac strenuus! ipsam hostis sui victoriam vicit. „Nihil" inquit „perdidi"; dubitare illum coegit, an vicisset. „Omnia mea mecum sunt", id est justitia, virtus, prudentia, hoc ipsum, nihil bonum putare, quod eripi possit. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes sine noxa corporum transeunt; quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum et ruinas et ignes illæsus et indemnis evasit! Vides, quanto facilius sit totam gentem quam unum virum vincere. Hæc vox illi communis est cum Stoico: æque et hic intacta bona per concrematas urbes fert; se enim ipso contentus est, hoc felicitatem suam fine designat. (*Seneca.*)

X.

Cornelio Cosso, Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset; accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Sejani clientes. Id perniciabile reo et Tiberius truci vultu defensionem accipiens, quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorsus est: „Verba mea, patres conscripti, arguuntur; adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in principem aut principis parentem, quos lex majestatis amplectitur; Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas quum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. T. Livius, eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret; neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem,

Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe et insignes viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt, Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium prædicabat; et uterque opibus atque honoribus perviguere. M. Ciceronis libro, quo Catonem cælo æquavit, quid aliud dictator Cæsar quam rescripta oratione, velut apud judices, respondit? Antonii epistulæ, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra multa cum acerbitate habent, carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Cæsarum leguntur; sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia: namque spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur. Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis, quos mors odio aut gratiæ exemisset. Num enim armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus belli civilis causa populum per contiones incendo? an illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud scriptores retinent? Suum cuique decus posteritas rependit; nec decerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam mei meminerint." Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per ædiles cremandos censuere patres; sed manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingvi posse etiam sequentis ævi memoriam; nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere. (*Tacitus.*)

XI.

C. Plinius Caninio suo S.

Optime facis, quod bellum Dacicum scribere paras; nam quæ tam recens, tam copiosa, tam læta, denique tam poetica et, quamquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem nihil desperantem; super hæc actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit. Una, sed maxima, difficultas, quod hæc æquare dicendo arduum, immensum, etiam tuo ingenio, quamquam altissime adsurgat et amplissimis operibus increscat. Nonnullus et in illo labor, ut barbara et fera nomina, in primis regis ipsius, Græcis versibus non resultent. Sed nihil est, quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur. Præterea, si datur Homero et mollia vocabula et Græca ad levitatem versus contrahere, extendere, inflectere, cur tibi similis audentia, præsertim non delicata, sed necessaria, non detur? Proinde jure vatum invocatis dis et inter deos ipso, cujus res, opera, consilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, si quando alias, toto ingenio vehere. Cur enim non ego quoque poetice cum poeta? Illud jam nunc paciscor: prima quæque ut absolveris, mittito, immo etiam ante quam absolvas, sic ut erunt recentia et rudia et adhuc similia nascentibus. Respondebis non posse perinde carptim ut contexta, perinde incohata placere ut effecta. Scio: itaque et a me æstimabuntur ut cœpta, spectabuntur ut membra, extremamque limam tuam opperientur in scrinio nostro. Patere hoc me super cetera habere amoris tui pignus, ut ea quoque norim,

quæ nosse neminem velles. In summa, potero fortasse scripta tua magis probare, laudare, quanto illa tardius cautiusque, sed ipsum te magis amabo magisque laudabo, quanto celerius et incautius miseris. Vale.

XII.

Callistratum ajunt (ita certe Hecaton auctor est), quum in exilium iret, in quod multos cum illo simul seditiosa civitas et intemperanter libera expulerat, optante quodam, ut Atheniensibus necessitas restituendi exules esset, abominatum talem reditum. Rutilius noster animosius, quum quidam illum consolaretur et diceret instare arma civilia, brevi futurum, ut omnes exules reverterentur, „Quid tibi" inquit „mali feci, ut mihi pejorem reditum quam exitum optares? Ut malo, patria exilio meo erubescat quam reditu mœreat!" Non est istud exilium, cujus neminem non magis quam damnatum pudet. Quemadmodum illi servaverunt bonorum civium officium, qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos iniquo malo adfici quam omnes publico, ita non servat grati hominis adfectum, qui bene de se merentem distringi difficultatibus vult, quas ipse submoveat, quia, etiamsi bene cogitat, male precatur. Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam cedet incendium exstinxisse, quod feceris. In quibusdam civitatibus impium votum sceleris vicem tenuit. Demades certe Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, quum probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. (*Seneca.*)

XIII.

In M. Porcio Catone tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi

ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit; huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus miles multisque insignibus clarus pugnis, idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator; idem in pace, si jus consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cujus lingva vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum exstet; vivit immo vigetque eloquentia ejus sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multæ et pro aliis et in alios; nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas, nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et lingvæ acerbæ et immodice liberæ fuit, sed invicti a cupiditatibus animi, rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ et divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit judicium. (*Livius.*)

XIV.

Anno u. c. septingentesimo undeseptuagesimo mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippæ servus, nomine Clemens, comperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude

aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. Ausa ejus impedivit tarditas onerariæ navis; atque interim patrata cæde Agrippæ, ad majora et magis præcipitia conversus furatur cineres vectusque Cosam, Etruriæ promunturium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret; nam ætate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti ejus socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cujusque promptas aures aut rursum apud turbidos eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici neque diutius iisdem locis; sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut præveniebat. Vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, credebatur Romæ; jamque Ostiam invectum multitudo ingens, jam in urbe clandestini cœtus celebrabant, quum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum coerceret an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret; modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat. Postremo dat negotium Sallustio Crispo. Ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur, ut jussum erat; dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum clauso ore in Palatium traxere. Percontanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur: „quomodo tu Cæsar". Ut ederet socios, subigi non potuit; nec Tiberius pœnam ejus palam ausus in secreta Palatii parte interfici jussit corpusque clam auferri; et quamquam multi e domo prin-

cipis equitesque ac senatores sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur, haud quæsitum. (*Tacitus.*)

XV.

Latronis Porcii, carissimi mihi sodalis, memoriam sæpe soleo retractare et a prima pueritia usque ad ultimum ejus diem perductam familiarem amicitiam cum voluptate maxima repetere. Nihil illo viro gravius, nihil svavius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperavit, nemo plus indulsit; in utramque partem vehementi viro modus deerat: nec intermittere studia sciebat nec repetere. Quum se ad scribendum concitaverat, jungebantur noctibus dies, et sine intervallo gravius sibi instabat nec desinebat, nisi defecerat; rursus quum se remiserat, in omnes lusus, in omnes jocos se resolvebat. Quum vero se silvis montibusque tradiderat, in silvis ac montibus natos omnes illos agrestis laboris patientia et venandi sollertia provocabat, et in tantam perveniebat sic vivendi cupiditatem, ut vix posset ad priorem consvetudinem retrahi; at quum sibi injecerat manum et se blandienti otio abduxerat, tantis viribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multum adquisisse desidia videretur. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare; excitatur enim otio vigor, et omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur; nulli tamen intermissio manifestius proderat. Quotiens ex intervallo dixerat, multo acrius violentiusque dicebat; exsultabat enim novato atque integro robore, et tantum a se exprimebat, quantum concupierat. Memoria ei natura quidem felix, plurimum tamen arte adjuta. Numquam ille, quæ dicturus erat, ediscendi causa relegebat; edidicerat illa, quum scripserat; quod eo magis

in illo mirabile videri potest, quod non lento et anxie, sed eodem pæne, quo dicebat, impetu scribebat. Illi, qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium eunt, necesse est, quæ totiens animo suo admovent, novissime adfigant; at quorumcumque stilus velox est, tardior memoria est: in illo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, sed ars summa et ad comprehendenda, quæ tenere debebat, et ad custodienda, adeo ut omnes declamationes suas, quascumque dixerat, teneret etiam. Itaque supervacuos sibi fecerat codices; ajebat se in animo scribere; cogitata dicebat ita, ut in nullo umquam verbo cum memoria deceperit. Historiarum omnium summa notitia; jubebat aliquem nominari ducem, et statim ejus acta cursu reddebat; adeo, quæcumque semel in animum ejus descenderant, in promptu erant. (*Seneca Rhetor.*)

XVI.

Subinde me de rebus singulis consulis oblitus vasto nos mari dividi. Quum magna pars consilii sit in tempore, necesse est evenire, ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, quum jam contraria potior est. Consilia enim rebus aptantur; res nostræ feruntur, immo volvantur; ergo consilium nasci sub die debet, et hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, nascatur. Quemadmodum autem inveniatur, ostendam. Quotiens, quid fugiendum sit aut quid petendum, voles scire, ad summum bonum et propositum totius vitæ tuæ respice; illi enim consentire debet quidquid agimus; non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ summa proposita est. Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi jam constat, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo

deliberat. Scire debet, quid petat, ille qui sagittam vult mittere, et tunc derigere ac moderari manu telum; errant consilia nostra, quia non habent, quo derigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est; necesse est, multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. Quibusdam autem evenit, ut quædam scire se nesciant; quemadmodum quærimus sæpe eos, cum quibus stamus, ita plerumque finem summi boni ignoramus adpositum. Nec multis verbis nec circuitu longo, quid sit summum bonum, colliges; digito, ut ita dicam, demonstrandum est nec in multa spargendum. Quid enim ad rem pertinet in particulas illud diducere, quum possis dicere: „Summum bonum est, quod honestum est" et quod magis admireris: „Unum bonum est, quod honestum est"? Cetera falsa et adulterina bona sunt. (*Seneca.*)

XVII.

Alexander subactis Arachosiis nationem ne finitimis quidem satis notam, quippe nullo commercio evocante mutuos usus, cum exercitu intravit. Parapamisadæ appellantur, agreste hominum genus et inter barbaros maxime inconditum. Locorum asperitas hominum quoque ingenia duraverat. Tuguria latere a primo struunt et, quia sterilis est terra materiæ, nudo etiam montis dorso, usque ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo utuntur. Ceterum structura latior ab imo paulatim incremento operis in artius cogitur, ad ultimum in carinæ maxime modum coit; ibi foramine relicto superne lumen admittunt. Vites et arbores, si quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt: penitus hieme defossæ latent; quum nix discussa aperire humum cœpit, cælo solique redduntur. Ceterum adeo altæ nives

premunt terram gelu et perpetuo pæne rigore constrictæ, ut ne avium quidem feræve ullius vestigium exstet. Obscura cæli verius umbra quam lux nocti similis premit terram, vix ut quæ prope sunt conspici possint. In hac tantum non omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, pertulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimavit rigor insolitus nivis, multorum adussit pedes, plurimorum oculos. Præcipue perniciabilis fuit fatigatis; quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant, quæ quum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum coniti fere non possent. A commilitonibus torpentes excitabantur, neque aliud remedium erat, quam ut ingredi cogerentur; tum demum vitali calore moto membris aliquis redibat vigor. Si qui tuguria barbarorum adire potuerant, celeriter refecti sunt; sed tanta caligo erat, ut ædificia nulla alia res quam fumus ostenderet. Rex agmen circumibat pedes, jacentes quosdam erigens et alios, quum agre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens; nunc ad prima signa, nunc in medio, nunc in ultimo agmine multiplicato itineris labore aderat. Tandem ad loca cultiora perventum est, commeatuque largo recreatus exercitus; simul et, qui consequi non potuerant, in illa castra venerunt. (*Curtius.*)

XVIII.

Quam aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis faciliseque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione

digitorum. Atque hæc oblectationis; illa necessitatis, cultus dico agrorum exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta omnemque fabricam æris et ferri; ex quo intellegitur ad inventa animo, percepta sensibus adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Jam vero operis hominum, id est manibus, cibi etiam varietas invenitur et copia. Nam et agri multa efferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur vel mandentur condita vetustati; et præterea vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volantibus, partim capiendo partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis adfert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus; nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur; nos e terræ cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam; nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus, et ad usum aptas et ad ornatum decoras; arborum autem consectione omnique materia et culta et silvestri partim ad calefaciendum corpus igni adhibito et ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum, ut tectis sæpti frigora caloresque pellamus. Magnos vero usus adfert ad navigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiæ; quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam, plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus: nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus; nos flumina arcemus, derigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur. (*Cicero.*)

XIX.

Quid præcipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complexe nec in Rubri maris litore signa fixisse nec deficiente ad injurias terra errasse in Oceano ignota quærentem, sed animo omne vidisse et, qua major nulla victoria est, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui populos, qui urbes habuerunt in potestate; paucissimi, qui se. Quid est præcipuum? Posse læto animo adversa tolerare; quidquid acciderit, sic ferre, quasi volueris tibi accidere; debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto dei fieri. Quid est præcipuum? Animus contra calamitates fortis et contumax, luxuriæ non adversus tantum, sed infestus, nec avidus periculi nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare sed facere et adversus utramque intrepidus inconfususque prodire, nec illius tumultu nec hujus fulgore percussus. Quid est præcipuum? Non admittere in animum mala consilia, puras ad cælum manus extollere, nullum bonum petere, quod, ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere; optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem; cetera magno æstimata mortalibus, etiamsi quis domum casus attulerit, sic intueri quasi exitura, qua venerunt. Quid est præcipuum? Altos supra fortuita spiritus tollere; hominis meminisse, ut, sive felix eris, scias te hoc non futurum diu, sive infelix, scias te hoc non esse, si non putes. (*Seneca.*)

XX.

In libris veterum memoriarum scriptum est Hannibalem Carthaginiensem apud regem Antiochum facetissime cavillatum esse. Ea cavillatio hujuscemodi fuit. Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem; inducebat etiam currus cum falcibus et elephantos cum turribus equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem. Atque ibi rex, contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus, Hannibalem aspicit et: „Putasne" inquit „conferri posse ac satis esse Romanis hæc omnia?" Tum Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum: „Satis, plane satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avarissimi sunt." Nihil prorsum neque tam lepide neque tam acerbe dici potest: rex de numero exercitus sui ac de æstimanda æquiperatione quæsiverat; respondit Hannibal de præda. (*A. Gellius.*)

PARTICULA V.

I.

Anno u. c. quingentesimo septuagesimo tertio in agro L. Petilii scribæ sub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ, octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ sunt, operculis plumbo devinctis. Litteris Latinis Græcisque utraque arca inscripta erat, in altera Numam Pompilium Pomponis filium, regem Romanorum, sepultum esse, in altera libros Numæ Pompilii inesse. Eas arcas quum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, sine vestigio ullo corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumptis; in altera duo fasces candelis involuti septenos habuere libros non integros modo, sed recentissima specie. Septem Latini de jure pontificio erant, septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adicit Antias Valerius Pythagoricos fuisse, vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primo ab amicis, qui in re præsenti fuerunt, libri lecti; mox pluribus legentibus quum vulgarentur, Q. Petilius prætor urbanus, studiosus legendi, libros eos a L. Petilio sumpsit; et erat familiaris usus, quod scribam eum quæstor Q. Petilius in decuriam legerat. Lectis rerum summis quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse, L. Petilio dixit seso libros eos in ignem conjecturum esse; priusquam id faceret, se ei permittere, uti, si quod seu jus seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur; id integra sua gratia eum facturum. Scriba tribunos plebis adit; ab tribunis ad senatum res est rejecta. Prætor se jus jurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi servarique non oportere. Senatus censuit satis habendum, quod prætor jus jurandum polliceretur; libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse; pretium pro libris, quantum Q. Petilio prætori majorique parti tribunorum plebis videretur, domino solvendum esse. Id scriba non accepit. Libri in

comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. (*Livius.*)

II.

Antiochum Magnum illum majores nostri magna belli contentione terra marique superatum intra montem Taurum regnare jusserunt; Asiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, condonaverunt. Cum Armeniorum rege Tigrane grave bellum nuper ipsi diuturnumque gessimus, quum ille injuriis in socios nostros inferendis bello prope nos lacessisset. Hic et ipse per se vehemens fuit et acerrimum hostem hujus imperii Mithridatem, pulsum Ponto, opibus suis regnoque defendit et ab L. Lucullo, summo viro atque imperatore, repulsus animo tamen hostili cum reliquis suis copiis in pristina mente mansit. Hunc Cn. Pompejus, quum in suis castris supplicem abjectumque vidisset, crexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abjecerat, reposuit, et certis rebus imperatis regnare jussit; nec minus et sibi et huic imperio gloriosum putavit constitutum a se regem quam constrictum videri. Tigranes igitur, qui et ipse hostis fuit populi Romani et acerrimum hostem in regnum recepit, qui conflixit, qui signa contulit, qui de imperio pæne certavit, regnat hodie et amicitiæ nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus. (*Cicero.*)

III.

Titus imperator natura benevolentissimus, quum ex instituto Tiberii omnes deinde Cæsares beneficia a superioribus concessa principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se

peti passus est. In ceteris vero desideriis hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret; quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam præstare posset, non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: „Amici, diem perdidi." Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesuvii montis in Campania et incendium Romæ per triduum totidemque noctes, item pestilentia, quanta non temere alias. In his tot adversis ac talibus non modo principis sollicitudinem, sed et parentis adfectum unicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Inter adversa temporum et delatores erant ex licentia veteri: hos adsidue in foro flagellis ac fustibus cæsos ac novissime traductos per amphitheatri harenam partim hastæ subici ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Fratrem Domitianum insidiari sibi non desinentem neque occidere neque seponere ac ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed ut a primo imperii die consortem successoremque testari perseveravit, nonnumquam secreto precibus et lacrimis orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.

(*Suetonius.*)

IV.

Quibus otium et studium fuit vitas atque ætates doctorum hominum quærere ac memoriæ tradere, de M. Pacuvio et L. Accio tragicis poetis historiam scripserunt hujuscemodi. Quum Pacuvius, inquiunt, grandi jam ætate et morbo corporis diutino adfectus Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius, tunc haud

parvo junior, proficiscens in Asiam quum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium; comiterque invitatus plusculisque ab eo diebus retentus tragœdiam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse ajunt, sonora quidem esse, quæ scripsisset, et grandia, sed videri tamen ea sibi duriora paulum et acerbiora. „Ita est" inquit Accius, „uti dicis; neque id me sane pœnitet; meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam. Nam quod in pomis, itidem" inquit „esse ajunt in ingeniis: quæ dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et jocunda; sed quæ gignuntur statim vieta et mollia atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet." (*A. Gellius.*)

V.

Alexandrum in India versantem Sudracarum Mallorumque centum legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu; lineæ vestes intexto auro purpuraque distinctæ. Ei se dedere ipsos, urbes agrosque referebant, per tot ætates inviolatam libertatem illius primum fidei dicionique permissuros; deos sibi deditionis auctores, non metum; quippe intactis viribus jugum excipere. Rex consilio habito deditos in fidem accepit stipendio imposito; præterea duo milia et quingentos equites imperat; et omnia obœdienter a barbaris facta. Invitatis deinde ad epulas legatis gentium regulisque exornari convivium jussit. Centum aurei lecti modicis intervallis positi erant; lectis circumdederat aulæa purpura auroque fulgentia, quidquid aut apud Persas vetere luxu aut apud Macedonas nova immutatione corruptum erat, confusis utriusque gentis vitiis in illo convivio ostendens.

Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis et ob eximiam virtutem virium etiam regi pernotus et gratus. Invidi malignique increpabant per scria et ludum saginati corporis sequi inutilem beluam; quum ipsi prœlium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis. Eadem igitur in convivio Horratas Macedo jam temulentus exprobrare ei cœpit et postulare, ut, si vir esset, postero die secum ferro decerneret; regem tandem vel de sua temeritate vel de illius ignavia judicaturum. Et a Dioxippo, contemptim militarem eludente ferociam, accepta condicio est. Ac postero die rex, quum etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. Ingens vis militum intererat, quorum Græci Dioxippo studebant. Macedo justa arma sumpserat, æreum clipeum hastamque, quam sarisam vocant, læva tenens, dextera lanceam, gladioque cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo niteus et coronatus læva puniceum amiculum, dextra validum nodosumque stipitem præferebat. Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat; quippe armato congredi nudum dementia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo, haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit; quam Dioxippus quum exigua corporis declinatione vitasset, ante quam ille hastam transferret in dextram, adsiluit et stipite mediam eam fregit. Amisso utroque telo Macedo gladium cœperat stringere; quem occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arietavit in terram, ereptoque gladio pedem super cervicem jacenti imposuit, stipitem intentans elisurusque eo victum, ni prohibitus esset a rege. Tristis spectaculi eventus non Macedonibus modo, sed etiam Alexandro fuit, maxime quia barbari adfuerant; quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium

reccidisse verebatur. Hinc ad criminationem invidorum adapertæ sunt regis aures. Et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur, ministrique, quasi amisissent, quod amoverant, regem adeunt. Sæpe minus est constantiæ in pudore quam in culpa: conjectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit et, quum excessisset convivio, litteris conscriptis, quo regi redderentur, ferro se interemit. Graviter mortem ejus tulit rex, existimans indignationis esse, non pœnitentiæ testem, utique postquam falso insimulatum eum nimium invidorum gaudium ostendit. (*Curtius.*)

VI.

Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annalium tradit, quum obsideretur Grumentum et jam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse et operæ pretium fecisse. Deinde urbe capta passim discurrente victore illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, præcucurrisse et dominam suam ante se egisse; quærentibus, quænam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret; deinde, ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manu misit utrumque e vestigio illa nec indignata est ab iis se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari; aliter enim servata munus notæ et vulgaris clementiæ habuisset, sic servata nobilis fabula et exemplum duarum urbium fuit. In tanta confusione captæ civitatis, quum sibi quisque consuleret, omnes ab illa præter transfugas fugerunt. At

hi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad captivam transfugerunt personam parricidarum ferentes; quod in illo beneficio maximum fuit, tanti judicaverunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est servilis animi egregium factum fama sceleris emisse. (*Seneca.*)

VII.

Alexander, Bactrianis in fidem acceptis, relicta phalange ad subigendos Sogdianos, qui defecerant, cum equite processit. Arduum et impeditum saxis iter primo utcumque tolerabant; mox equorum non ungulis modo attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi plerique non poterant, et rarius subinde agmen fiebat pudorem, ut fere fit, immodico labore vincente. Rex tamen subinde equos mutans sine intermissione fugientes insequebatur. Nobiles juvenes comitari eum soliti defecerant præter Philippum. Lysimachi erat frater, tum primum adultus et, quod facile appareret, indolis raræ. Is pedes, incredibile dictu, per quingenta stadia vectum regem comitatus est, sæpe equum suum offerente Lysimacho, nec tamen, ut digrederetur a rege, effici potuit, quum lorica indutus arma gestaret. Idem, quum perventum esset in saltum, in quo se barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam regemque comminus cum hoste dimicantem protexit. Sed postquam barbari in fugam effusi deseruere silvas, animus, qui in ardore pugnæ corpus sustentaverat, liquit; subitoque ex omnibus membris profuso sudore arboris proximæ stipiti se adplicuit. Deinde ne illo quidem adminiculo sustinente manibus regis exceptus est, inter quas collapsus exstingvitur. Mæstum regem alius haud levis dolor excepit. Erigyius inter claros

duces fuerat; quem exstinctum esse paulo ante, quam reverteretur in castra, cognovit. Utriusque funus omni apparatu atque honore celebratum est. (*Curtius.*)

VIII.

Ne nimis admiretur Græcia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata filii morte tibicinem tantum jussit tacere et coronam capiti detraxit, cætera rite perfecit, Pulvillus effecit pontifex, cui postem tenenti et Capitolium dedicanti mors filii nuntiata est; quam ille exaudisse dissimulans sollemnia pontificii carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem. Idem tamen, ut rediit domum, et implevit oculos et aliquas voces flebiles misit; sed peractis, quæ mos erat præstare defunctis, ad Capitolinum illum rediit vultum. Paulus circa illos nobilissimi triumphi dies, quo vinctum ante currum egit Persen, duos filios in adoptionem dedit, quos sibi servaverat extulit. Quales retentos putas, quum inter commodatos Scipio fuisset? Non sine motu vacuum Pauli currum populus Romanus aspexit; contionatus est tamen et egit dis gratias, quod compos voti factus esset; precatum enim se, ut, si quid ob ingentem victoriam invidiæ dandum esset, id suo potius quam publico damno solveretur. Vides, quam magno animo tulerit? orbitati suæ gratulatus est. Et quem magis poterat permovere tanta mutatio? Solacia simul atque auxilia perdidit. Non contigit tamen tristem Paulum Persi videre. (*Seneca.*)

IX.

Alexander Dareo imminens, quem nondum Euphraten superasse cognoverat, undique omnes copias contrahit totis viribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus, pluribus

vicis quam urbibus frequens. Tunc habebat nobilem quondam Midæ regiam; Gordium nomen est urbi, quam Sangarius amnis præterfluit, pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem. Alexander urbe in dicionem suam redacta Jovis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium, Midæ patrem, vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens; notabile erat jugum adstrictum compluribus nodis in semet ipsos implicatis et celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus editam esse oraculo sortem, Asiæ potituram, qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit animo sortis ejus implendæ. Circa regem erat et Phrygum turba et Macedonum, illa exspectatione suspensa, hæc sollicita ex temeraria regis fiducia; quippe serie vinculorum ita adstricta, ut, unde nexus inciperet quove se condoret, nec ratione nec visu perspici posset, solvere adgressus injecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis: „Nihil" inquit „interest, quomodo solvantur", gladioque ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel implevit. (*Curtius.*)

X.

I. Annæus Seneca in epistula quadam de admiratione pecuniæ et divitiarum vitam humanam perturbante sic queritur: Ex quo pecunia in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit, mercatoresque et venales in vicem facti quærimus, non quale sit quidque, sed quanti; ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii, et honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur, in contrarium transituri, si plus scelera promittent. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt, et tenaris infusa cupiditas altius sedit

crevitque nobiscum. Deinde totus populus, in alia discors, in hoc convenit; hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc dis velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, consecrant; denique eo mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contempta divitibus, invisa pauperibus. Accedunt deinde carmina poetarum, quæ adfectibus nostris facem subdant, quibus divitiæ velut unicum vitæ decus ornamentumque laudantur; nihil illis melius nec dare videntur di immortales posse nec habere. Itaque splendidissime se deorum majestatem poetæ extulisse putant, si sic de iis narraverint, quemadmodum Ovidius in Phaethontis fabula Solis domum describit:

„Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro."

Denique, quod optimum videri volunt sæculum, aureum appellant. Nec apud Græcos tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutent, ut illo, qui dicit: „Sine me vocari pessimum, ut dives vocer."

XI.

In Tusculano quum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipso, ut solebam, inde promerem. Quo quum veniessem, M. Catonem, quem ibi esse nesciebam, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim ingens in eo aviditas legendi nec satiari poterat, quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans in ipsa curia soleret legere sæpe, dum senatus cogeretur, nihil operæ rei publicæ detrahens; quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi belluari libris, si hoc verbo in tam præclara re utendum est, videbatur.

Quod quum accidisset, ut alter alterum necopinato videremus, surrexit statim. Deinde post prima illa, quæ in congressu solemus: „Quid tu" inquit „huc? a villa enim, credo"; et: „Si ibi te esse scissem, ad te ipse veniessem." „Heri" inquam „ludis commissis ex urbe profectus veni ad vesperum; causa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem. Et quidem, Cato, hanc totam copiam jam Lucullo nostro notam esse oportebit; nam his libris eum malo quam reliquo ornatu villæ delectari. Est enim mihi magnæ curæ (quamquam hoc quidem proprium tuum munus est), ut ita erudiatur, ut et patri et Cæpioni nostro et tibi tam propinquo respondeat. Laboro autem non sine causa; nam et avi ejus memoria moveor (nec enim ignoras, quanti fecerim Cæpionem, qui, ut opinio mea fert, in principibus jam esset, si viveret), et L. Lucullus mihi versatur ante oculos, vir quum omnibus excellens tum mecum et amicitia et omni voluntate sententiaque conjunctus." „Præclare" inquit „facis, quum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendavit, et puerum diligis. Quod autem mecum munus dicis, non equidem recuso, sed te adjungo socium. Addo etiam illud, multa jam mihi dare signa puerum et pudoris et ingenii; sed ætatem vides." „Video equidem" inquam; „sed tamen jam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior." „Sic est, et quidem diligentius sæpiusque ista loquemur inter nos agemusque communiter. Sed residamus" inquit, „si placet." Itaque fecimus. Tum ille: „Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris?" „Commentarios quosdam" inquam „Aristotelios, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus; quod

quidem nobis non sæpe contingit." „Quam vellem" inquit, „te ad Stoicos inclinavisses! Erat enim, si cujusquam, certe tuum nihil præter virtutem in bonis ducere." (*Cicero.*)

XII.

De Marcellino nostro quæris et vis scire, quid agat. Raro ad nos venit, non ulla alia ex causa, quam quod audire verum timet; a quo periculo jam abest: nulli enim nisi audituro dicendum est. Ideo de Diogene nec minus de aliis Cynicis, qui libertate promiscua usi sunt et obvios monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Quid enim, si quis surdos objurget aut natura morbove mutos? — „Quare" inquis „verbis parcam? gratuita sunt. Non possum scire, an ei profuturus sim, quem admoneo; illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda manus est; non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti." — Hoc, mi Lucili, non existimo magno viro faciendum; diluitur ejus auctoritas nec apud eos habet satis ponderis, quos posset minus obsolefacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando decerrare. Non est ars, quæ ad effectum casu venit. Sapientia ars est: certum petat, eligat profecturos, ab iis, quos desperavit, recedat, non tamen cito relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia temptet. Marcellinum tamen nostrum ego nondum despero; etiam nunc servari potest, sed si cito illi manus porrigitur. Est quidem periculum, ne porrigentem trahat; magna in illo ingenii vis est, sed jam tendentis in pravum; nihilo minus adibo hoc periculum et audebo illi mala sua ostendere. Faciet, quod solet: advocabit illas facetias, quæ risum evocare lugentibus possunt, et in se primum, deinde in nos jocabitur; omnia, quæ dicturus sum, occupabit. Constitui tamen contumelias perpeti; moveat ille mihi risum, ego fortasse illi lacrimas movebo, aut, si ridere perseverabit, gaudebo tamquam in malis, quod illi genus insaniæ hilare contigerit. Propositum est adgredi illum et ostendere, quanto pluris fuerit, quum multis minoris videretur. Vitia ejus, etiamsi non excidero, inhibebo; si non desinent, intermittent; fortasse autem et desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. Non est hoc ipsum fastidiendum, quoniam quidem graviter adfectis sanitatis loco est bona remissio. (*Seneca.*)

XIII.

C. Plinius Sabiniano suo S.

Libertus tuus, cui suscensere te dixeras, venit ad me advolutusque pedibus meis tamquam tuis hæsit. Flevit multum, multum rogavit, multum etiam tacuit: in summa, fecit mihi fidem pœnitentiæ. Vere credo emendatum, quia deliquisse se sentit. Irasceris, scio, et irasceris merito, id quoque scio; sed tunc præcipua mansuetudinis laus, quum iræ causa justissima est. Amasti hominem et, spero, amabis; interim sufficit, ut exorari te sinas. Licebit rursus irasci, si meruerit, quod exoratus excusatius facies. Remitte aliquid adulescentiæ ipsius, remitte lacrimis, remitte indulgentiæ tuæ; ne torseris illum, ne torseris etiam te; torqueris enim, quum tam lenis irasceris. Vereor, ne videar non rogare, sed cogere, si precibus ejus meas junxero. Jungam tamen tanto plenius et effusius, quanto ipsum acrius severiusque corripui, destricte minatus numquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat, tibi non item. Nam fortasse iterum rogabo, impetrabo iterum; sit modo tale, ut rogare me, ut præstare te deceat. Vale.

XIV.

A. Hostilio, A. Atilio consulibus multarum simul Græciæ Asiæque civitatium legati Romam convenerunt. Ex his Chalcidensium legatio ipso introitu, ob id quod Micion princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, ultimæ necessitatis extemplo visa est, in qua ita adfecto excusatio valetudinis aut ne ipsi quidem petenda visa foret aut data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum præterquam lingvam ad deplorandas patriæ suæ calamitates præfatus esset, exposuit civitatis primum suæ bene facta et vetera et ea, quæ Persei bello præstitissent ducibus exercitibusque Romanis; tum, quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor Romanus superbe, avare, crudeliter fecisset; deinde, quæ tum quum maxime L. Hortensius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiam iis, quæ patiantur, tristiora, patienda esse ducant potius, quam fide decedant, sic, quod ad Lucretium Hortensiumque attineret, scire, tutius fuisse claudere portas quam in urbem eos accipere. Qui exclusissent eos, incolumes esse; apud se templa omnibus ornamentis compilata, spoliaque sacrilegii C. Lucretium navibus Autium devexisse, libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi Romani direptas esse et quotidie diripi. Nam ex instituto C. Lucretii L. Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque æstate navales socios habere, et domos suas plenas turba nautica esse; versari inter se, conjuges liberosque suos, quibus nihil neque dicere pensi sit neque facere. Accersere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram purgaretque sese. Ceterum multo plura præsens audivit, quam in absentem jacta erant; et graviores potentioresque accessere accusatores duo tribuni plebis, M'. Juventius Thalna et Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in contionem etiam pertracto multis objectis probris diem dixerunt. Senatus jussu Chalcidensibus Q. Mænius prætor respondit, quæ bene meritos sese et ante et in eo bello, quod geratur, de populo Romano dicant, ea et scire vera eos referre senatum, et perinde, ac debeant, grata esse. Quæ facta a C. Lucretio fierique ab L. Hortensio prætoribus Romanis querantur, ea neque facta neque fieri voluntate senatus quem non posse existimare, qui sciat bellum Persei et ante Philippo, patri ejus, intulisse populum Romanum pro libertate Græciæ, non ut ea a magistratibus suis socii atque amici paterentur? Litteras se ad L. Hortensium prætorem daturos esse, quæ Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere; si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque tempore restituendosque in libertatem curaret; sociorum navalium neminem præter magistros in hospitia deduci æquum censere. Hæc Hortensio jussu senatus scripta. Munera binum milium æris legatis missa et vehicula Micioni publice locata, quæ eum Brundisium commode perveherent. C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt multamque decies centum milium æris dixerunt. Comitiis habitis omnes quinque et triginta tribus eum condemnarunt. (*Livius.*)

XV.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant; neque præmiis opus erat, quum honesta suopte ingenio peterent, et, ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas et pro modestia ac pudore ambitio

et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos æternum mansere; quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt. Hic primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensium, quas quæsitiores jam et plures Solo perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat; dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit, repertaque quædam a Tullo et Anco; sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis et firmandæ concordiæ; creatique decemviri, et accitis, quæ usquam egregia, compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris; nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum et apiscendi illicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latæ sunt. Hinc Gracchi et Saturnini, turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum, quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus, quum plura addidisset, otium ejus rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis refidita licentia, quoque vellent, populum agitandi. Jamque non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones; et corruptissima re publica plurimæ leges. (*Tacitus.*)

XVI.

Nato filio pater spem de illo quam optimam capiat; ita diligentior a principiis fiet. Falsa enim est querella, paucissimis hominibus vim percipiendi,

quæ tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere; nam contra plures reperias et faciles in excogitando et ad discendum promptos. Quippe id est homini naturale, ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia; unde origo animi cælestis creditur. Hebetes vero et indociles non magis secundum naturam homines eduntur quam prodigiosa corpora et monstris insignia; sed hi pauci admodum. Fuerit argumentum, quod in pueris elucet spes plurimorum, quæ quum emoritur ætate, manifestum est non naturam defecisse, sed curam. Præstat tamen ingenio alius alium; concedo, sed id plus efficiet aut minus; nemo reperitur, qui sit studio nihil consecutus. — Quidam litteris instituendos, qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum ætas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati posset. Melius autem præceperunt, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus; nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam formandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. Cur autem non pertineat ad litteras ætas, quæ ad mores jam pertinet? Neque ignoro toto illo, de quo loquor, tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus; sed tamen mihi, qui dissenserunt, videntur non tam discentibus in hac parte quam docentibus pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt (faciant enim aliquid necesse est), aut cur hoc, quantulumcumque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certe, quamlibet parvum sit, quod contulerit ætas prior, majora tamen aliqua discet puer ipso illo anno, quo minora didicisset; hoc per singulos annos prorogatum in

summam proficit, et quantum in infantia præsumptum est temporis, adulescentiæ adquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit, ne, quod cuique discendum sit, sero discere incipiat. Non ergo perdamus primum statim tempus, atque eo minus, quod initia litterarum sola memoria constant, quæ non modo jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. Nec sum adeo ætatium imprudens, ut instandum protinus teneris acerbe putem exigendamque plenam operam; nam id in primis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit: et rogetur et laudetur et numquam non fecisse se gaudeat; aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat; contendat interim et sæpius vincere se putet; præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur. (*Quintilianus.*)

XVII.

Ægyptiorum antistites sic memorant, Ptolemæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, quum Alexandriæ recens conditæ mœnia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et majore quam humana specie juvenem, qui moneret, ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret: lætum id regno, magnamque et inclutam sedem fore, quæ excepisset; simul visum eundem juvenem in cælum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine et miraculo excitus sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intellegere, nocturnos visus aperit; atque illis Ponti et externorum parum guaris Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem cærimoniarum Eleusine exciverat, quænam illa superstitio, quod numen, interrogat. Timotheus, quæsitis qui in Pontum meassent, cognoscit

urbem illic Sinopen non procul templum, vetere inter accolas fama, Jovis Ditis; namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemæus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum magis adpetens, neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior jam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni jussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri jubet præcipitque navigaturis, ut Pythicum Apollinem adeant. Illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: irent simulacrumque patrui sui reveherent, sororis relinquerent. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata regis sui Scydrothemidi adlegant; qui diversus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri, sæpe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto Ptolemæus non studium, non preces omittere; dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur; cunctantem varia pernicies morbique et manifesta cœlestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata ergo contione jussa numinis, suos Ptolemæique visus, ingruentia mala exponit. Vulgus aversari regem, invidere Ægypto, sibi metuere templumque circumsedere. Major hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori naves sponte conscendisse. Mirum inde dictu tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis; fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Hæc de origine et advectu dei celeberrima. Nec sum ignarus esse quosdam, qui Seleucia urbe Syriæ

accitum regnante Ptolemæo, quem tertia ætas tulit; alii auctorem eundem Ptolemæum, sedem, ex qua transierit, Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Ægypti columen. Deum ipsum multi Æsculapium, quod medeatur ægris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum illis gentibus numen, plerique Jovem ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem insignibus, quæ in ipso manifesta, aut per ambages conjectant. (*Tacitus.*)

XVIII.

Facis rem optimam et tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem; quam stultum est optare, quam possis a te impetrare. Non sunt ad cælum elevandæ manus nec exorandus ædituus, ut nos ad aurem simulacri, quasi sic magis exaudiri possimus, admittat; prope est a te deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vero vir sine deo nemo est; an potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum habitat deus. Si tibi occurrerit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus et conspectum cæli ramorum aliorum alios protegentium umbra submovens, illa proceritas silvæ et secretum loci et admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ fidem tibi numinis faciet. Si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras

habet, coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quædam immensa altitudo sacravit. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, non subibit te veneratio ejus? non dices: „Ista res major est altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit; vis istuc divina descendit"? Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat; non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque majore sui parte illic est, unde descendit. Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur, sic animus magnus ac sacer et in hoc demissus, ut propius divina nosscmus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ; illinc pendet, illuc spectat ac nititur; nobis tamquam melior interest. Quis est ergo hic animus? Qui nullo bono nisi suo nitet. Quid enim est stultius quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Non faciunt meliorem equum aurei freni. Alter leo aurata juba mittitur, dum contrectatur et ad patientiam recipiendi ornamenti cogitur, fatigatus; alter incultus, integri spiritus: hic scilicet impetu acer, qualem illum natura esse voluit, speciosus ex horrido, cujus hic decor est, non sine timore aspici, præfertur illi langvido et bratteato. Nemo gloriari nisi suo debet. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa ad terram pondere eorum, quæ tulit, adminicula deducit; num quis huic illam præferret vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependerent? Propria virtus est in vite fertilitas; in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram; multum

serit, multum fenerat; nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in illo, quod nec eripi potest nec dari, quod proprium hominis est. Quæris, quid id sit? Animus et ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo; consummatur itaque bonum ejus, si id implevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo hæc ratio exigit? Rem facillimam, secundum naturam suam vivere; sed hanc difficilem facit communis insania. In vitia alter alterum trudimus; quomodo autem revocari ad salutem possunt, quos nemo retinet, populus impellit? (*Seneca.*)

PARTICULA VI.

I.

Quum in Syriam Cæsar ex Ægypto venisset atque ab iis, qui Romæ venerant ad eum, cognosceret litterisque urbanis animadverteret multa Romæ male et inutiliter administrari neque ullam partem rei publicæ satis commode geri, quod et contentionibus tribuniciis perniciosæ seditiones orerentur, et ambitione atque indulgentia tribunorum militum et qui legionibus præerant multa contra morem consvetudinemque militarem fierent, quæ dissolvendæ disciplinæ severitatisque essent, eaque omnia flagitare adventum suum videret, tamen præferendum existimavit, quas in provincias regionesque venisset, eas ita relinquere constitutas, ut domesticis dissensionibus liberarentur, jura legesque acciperent, externorum hostium metum deponerent. Hæc in Syria, Cilicia, Asia celeriter se confecturum sperabat,

quod hæ provinciæ nullo bello premebantur; in Bithynia ac Ponto plus oneris videbat sibi impendere: non excessisse enim Ponto Pharnacem audiebat neque excessurum putabat, quum secundo prœlio vehementer esset inflatus, quod contra Domitium Calvinum fecerat. Commoratus fere in omnibus civitatibus, quæ majore sunt dignitate, præmia bene meritis et viritim et publice tribuit, de controversiis veteribus cognoscit ac statuit, reges, tyrannos, dynastas provinciæ finitimos, qui omnes ad eum concurrerant, receptos in fidem condicionibus impositis provinciæ tuendæ ac defendendæ dimittit et sibi et populo Romano amicissimos.

(*Auctor belli Alexandrini.*)

II.

M. Cicero contra prodigiorum fidem, quam Quintus frater ejus defenderat, inter alia hæc disputat: „Sangvine pluisse senatui nuntiatum est, Atratum etiam fluvium fluxisse sangvine, deorum sudasse simulacra. Num censes his nuntiis Thalen aut Anaxagoran aut quemquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sangvis nec sudor nisi e corpore; sed et decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxume potest sangvini similis esse, et umor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem videtur imitari. Atque hæc in bello plura et majora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo quum creduntur facilius tum finguntur impunius. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus? Ante vero Marsicum bellum quod clipeos Lanuvii mures rosissent, maxumum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quicquam interesit, mures diem noctemque aliquid rodentes scuta an cribra

corroserint! Nam si ista sequimur, quod Platonis Politian nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere, aut, si Epicuri de voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut, etiamsi præter consvetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit exsistere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris; si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa, eumque terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito." (*Cicero.*)

III.

Aristoteles philosophus, annos jam fere natus duo et sexaginta, corpore ægro adfectoque ac spe vitæ tenui fuit. Tunc omnis ejus sectatorum cohors ad eum accedit orantes obsecrantesque, ut ipse deligeret loci sui et magisterii successorem, quo post summum ejus diem proinde ut ipso uterentur ad studia doctrinarum complenda excolendaque, quibus ab eo imbuti fuissent. Erant tunc in ejus ludo boni multi, sed præcipui duo, Theophrastus et Menedemus. Ingenio hi atque doctrinis ceteros præstabant; alter ex insula Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Aristoteles respondit facturum esse, quod vellent, quum id sibi foret tempestivum. Postea brevi tempore quum iidem illi, qui de magistro destinando petiverant, præsentes essent, vinum ait, quod tum biberet, non esse id ex valetudine sua, sed insalubre esse atque asperum, ac propterea quæri debere exoticum, vel Rhodium aliquod vel Lesbium; id sibi utrumque ut curarent, petivit, usurumque eo dixit, quod sese magis juvisset. Eunt, quærunt, in-

veniunt, adferunt. Tum Aristoteles Rhodium petit, degustat: „firmum" inquit „hercle vinum et jocundum." Petit mox Lesbium, quo item degustato: „Utrumque" inquit „oppido bonum, sed ἡδίων ὁ Λέσβιος." Id ubi dixit, nemini fuit dubium, quin lepide simul et verecunde successorem illa voce sibi, non vinum delegisset. Is erat e Lesbo Theophrastus, svavitate homo insigni linguæ pariter atque vitæ. Itaque non diu post Aristotele vita defuncto ad Theophrastum omnes concesserunt. (*A. Gellius.*)

IV.

Crates, ut ajunt, quum vidisset adulescentulum secreto ambulantem, interrogavit, quid illic solus faceret. „Mecum" inquit „loquor"; cui Crates: „Cave" inquit, „rogo, et diligenter attende, ne cum homine malo loquaris." Lugentem amentemque custodire solemus, ne solitudine male utatur; nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. Tunc mala consilia agitant; tunc aut aliis aut ipsis futura pericula struunt; tunc cupiditates improbas ordinant; tunc, quidquid aut metu aut pudore celabat, animus exponit; tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat; denique, quod unum solitudo habet commodum, nihil ulli committere, non timere indicem, perit stulto; ipse se prodit. Vide itaque, mi Lucili, quid de te sperem, immo quid spondeam mihi (spes enim incerti boni nomen est): non invenio, cum quo te malim esse quam tecum. Repeto memoria, quam magno animo quædam verba projeceris, quanti roboris plena; gratulatus sum protinus mihi et dixi: „Non a summis labris ista venerunt, habent hæ voces fundamentum; iste homo non est unus e populo; ad salutem spectat." Sic loquere, sic vive; vide ne te ulla res deprimat. Votorum

tuorum veterum licet dis gratiam facias; alia de integro suscipe: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tunc corporis. Quidni tu ista vota sæpe facias? Audacter deum roga; nihil illum de alieno rogaturus es. Sed ut more meo cum aliquo munusculo epistulam mittam, verum est, quod apud Athenodorum inveni: „Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam.“ Nunc enim quanta dementia est hominum! Turpissima vota dis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent et, quod scire hominem nolunt, deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi salubriter possit: „Sic vive cum hominibus, tamquam deus videat; sic loquere cum deo, tamquam homines audiant.“ (*Seneca.*)

V.

Finito ex maxima parte Italico bello consulatum inierunt Q. Pompejus et L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriæ satis laudari neque post victoriam abunde vituperari potest. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus litteris ingenti cum pollicitatione præmiorum, interemi jusserat, quum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullæ Asia provincia. Is egressus urbe quum circa Nolam moraretur (quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat exercituque Romano obsidebatur, velut pæniteret ejus fidei, quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico), P. Sulpicius

tribunus plebis, disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, quum antea rectissima voluntate apud populum maximam quæsisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum et bene consulta ei male cederent, subito pravus et præceps se C. Mario post septuagesimum annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit legemque ad populum tulit, qua Sullæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum, aliasque leges perniciosas et exitiabiles neque tolerandas liberæ civitati; quin etiam Q. Pompeji consulis filium eundemque Sullæ generum per emissarios factionis suæ interfecit. Tum Sulla contracto exercitu ad urbem rediit eamque armis occupavit, duodecim auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicium, urbe exturbavit ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam adsecuti equites in Laurentinis paludibus jugulavere, caputque ejus erectum et ostentatum pro Rostris velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum annumque septuagesimum nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricæ, in quam se fugiens consectantes Sullæ equites abdiderat, injecto in collum loro in carcerem Minturnensium jussu duumvirum perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromens indignationem casus tanti viri abjecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instructum cum viatico collataque veste in navem imposuerunt. At ille adsecutus circa insulam Æناriam filium cursum in

Africam derexit inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit, quum Marius aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium alter alteri possent esse solacio. (*Vellejus Paterculus.*)

VI.

Hannibal nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus fuerit, quippe qui, quum in hostium terra per annos tredecim tam procul ab domo varia fortuna bellum gereret exercitu non suo civili, sed mixto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingva communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope di essent, ita quodam uno vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos nec adversus ducem seditio exstiterit, quum et pecunia sæpe in stipendium et commeatus in hostium agro deesset, quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Hasdrubalis vero exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum cui non videatur mirabile nullum motum in castris factum? Nam ad cetera id quoque accesserat, ut ne alendi quidem exercitus nisi ex Bruttio agro spes esset, qui, ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat; tam magnam partem juvenutis abstractam a cultu agrorum bellum occupaverat et mos vitio etiam insitus genti per latrocinia militiam exercendi; nec ab domo quicquam mittebatur, de Hispania retinenda sollicitis, tamquam omnia prospera in Italia essent. (*Livius.*)

VII.

In Philippo Macedone magna fuit contumeliarum patientia. Demochares ad illum, Parrhesiastes ob nimiam et procacem lingvam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. Audita benigne legatione Philippus: „Dicite“ inquit „mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum.“ Excepit Demochares et: „Te“ inquit „suspendere“. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta erat; quos Philippus conticescere jussit et Thersitam illum salvum incolumemque dimittere. „At vos“ inquit, „ceteri legati, nuntiate Atheniensibus multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt.“ Multa et divus Augustus digna memoria fecit dixitque, ex quibus apparet iram illi non imperasse. Timagenes historiarum scriptor quædam in ipsum, quædam in uxorem ejus et in totam domum dixerat nec perdiderat dicta; magis enim circumfertur et in ore hominum est temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæsar monuit, moderatius lingva uteretur; perseveranti domo sua interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit, nec ullum illi limen præclusa Cæsaris domus abstulit. Historias, quas postea scripserat, recitavit; sed libros acta Cæsaris Augusti continentes in igne posuit et combussit. Inimicitias gessit cum Cæsare; nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quasi fulguritum refugit; fuit, qui præberet tam alte cadenti sinum. Tulit hoc, ut dixi, Cæsar patienter, ne eo quidem motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat. Numquam cum hospite inimici sui questus est; hoc dumtaxat Pollioni Asinio dixit: „Θηριοτροφεῖς“. Paranti deinde excusationem obstitit et: „Fruere“ inquit, „mi Pollio, fruere.“ Et quum Pollio

diceret: „Si jubes, Cæsar, statim illi domo mea interdicam“, „Hoc me“ inquit „putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim?“ Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Cæsar cœperat. (*Seneca.*)

VIII.

Omnes Germanico corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens, benevolentiam singularem conciliandæque hominum gratiæ ac promerendi amoris mirum et efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta adsidua equi vectatione post cibum. Hostem comminus sæpe percussit. Oravit causas etiam triumphalis, atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comœdias Græcas. Domi forisque civilis libera ac fœderata oppida sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus colligere sua manu et comportare primus adgressus est. Obtrectatoribus etiam, qualescumque et quantacumque de causa nanctus esset, lenis adeo et innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas divexanti non prius suscensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque et devotionibus impugnare se comperisset; ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut amicitiam ei more majorum renuntiaret mandaretque domesticis ultionem, si quid sibi accideret. Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus et dilectus a suis, ut Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit; sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quotiens aliquo adveniret vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve nonnumquam cum discrimen vitæ adisse; e Germania vero post compressam seditionem revertenti prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronuntiatum esset, ut duæ tantummodo exirent; populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse se. Tamen longe majora et firmiora de eo judicia in morte ac post mortem exstiterunt. Romæ quum ad primam famam valetudinis attonita et mœsta civitas sequentes nuntios opperiretur et repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisse tandem percrebruisset, passim cum luminibus et victimis in Capitolium concursum est, ac pæne revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus e somno Tiberius gratulantium vocibus atque undique concinentium: „Salva Roma, salva patria, salvus est Germanicus!“ Et ut demum fato functum palamfactum est, non solaciis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit duravitque etiam per festos Decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumque defuncti et atrocitas insequentium temporum, cunctis nec temere opinantibus reverentia ejus ac metu repressam Tiberii sævitiam, quæ mox cruperit. (*Suetonius.*)

IX.

Caratacus, Britannorum dux, victus a Romanis quum fidem Cartimanduæ, reginæ Brigantum, petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur; avebantque visere, quis

ille tot per annos opes nostras sprevisset. Ne Romæ quidem ignobile Caratacci nomen erat; et Claudius Cæsar, dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ut ad insigne spectaculum populus; stetere in armis prætoriæ cohortes campo, qui castra præjacet. Tum incedentibus regiis clientelis phaleræ, torques, quæque bellis externis quæsiverat, traducta; mox fratres et conjux et filia, postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere ex metu; at non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est: „Si, quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses, claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitantem fœdere pacem accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est. Habui equos, viros, arma, opes; quid mirum, si hæc invitus amisi? Nam, si vos omnibus imperitare vultis, sequitur, ut omnes servitutem accipiant? Si statim deditus traherer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset, et supplicium mei oblivio sequeretur; at si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero." Ad ea Claudius veniam ipsique et filiæ et conjugi et fratribus tribuit. (*Tacitus.*)

X.

Fateor insitam esse nobis corporis nostri caritatem; fateor nos hujus gerere tutelam; non nego indulgendum illi, serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore. Hujus nos nimius amor

timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur ejus diligentissime cura, ita tamen, ut, quum exiget ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignes sit. Nihilo minus, quantum possumus, evitemus incommoda quoque, non tantum pericula, et in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli; quorum tria, nisi fallor, genera sunt: timetur inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus nihil nos magis concutit, quam quod ex aliena potentia impendet; magno enim strepitu et tumultu venit. Naturalia mala, quæ rettuli, inopia atque morbus, silentio subeunt, nec oculis nec auribus quicquam terroris incutiunt; ingens alterius mali pompa est: ferrum circa se et ignes habet et catenas et turbam ferarum, quam in viscera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem et cruces et equleos et uncum et adactum per medium hominem, qui per os emergeret, stipitem et distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium et illitam et textam, et quidquid aliud præter hæc commenta sævitia est. Non est itaque mirum, si maximus hujus rei timor est, cujus et varietas magna et apparatus terribilis est. (*Seneca.*)

XI.

Helvidius Priscus, origine Italica e Caracenæ municipio Cluviis, patre qui ordinem primi pili duxisset, ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit, non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rem publicam capesseret. Doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum neque

bonis neque malis adnumerant. Quæstorius adhuc a Pæto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. Erant quibus adpetentior famæ videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur. Ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbæ principatu rediit, Marcellum Eprium, delatorem Thraseæ, accusare adgreditur. Ea ultio, incertum major an justior, senatum in studia diduxerat; nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen et egregiis utriusque orationibus testatum mox, dubia voluntate Galbæ, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus, variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium. (*Tacitus.*)

XII.

Alexander a Memphi Nilo vectus ad interiora Ægypti penetrat, compositisque rebus ita, ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret, adire Jovis Hammonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque et paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra cœloque aquarum penuria est, steriles harenæ jacent, quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia intolerabilis æstus exsistit; lactandumque est non solum cum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod præaltum et vestigio cedens ægre moliuntur pedes. Hæc Ægyptii vero majora jactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Jovem, quem generis sui auctorem haud contentus mortali fastigio aut credebat esse aut credi volebat. Ergo cum iis, quos ducere secum

statuerat, secundo amne descendit ad Marcotin paludem. Ac primo quidem et sequente die tolerabilis labor visus, nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis, jam tamen sterili et emoriente terra. Sed ut aperuere se campi alto obruti sabulo, haud secus quam profundum æquor ingressi terram oculis requirebant; nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam defecerat, quam utribus cameli vexerant, et in arido solo ac fervido sabulo nulla erat. Ad hoc sol omnia incenderat, siccaque et adusta erant ora, quum repente, sive illud deorum munus sive casus fuit, obductæ cœlo nubes condidere solem, ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimvero ut largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui ore quoque hianti captare cœperunt. Quatriduum per vastas solitudines absumptum est. Jamque haud procul oraculi sede aberant, quum complures corvi agmini occurrunt; tum modico volatu prima signa antecedentes modo humi residebant, quum lentius agmen incederet, modo se pinnis levabant ducentium iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est, multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt silvas. Cœli quoque mira temperies, verno tempori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Incolæ nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis habitant; medium nemus pro arce habent triplici muro circumdatum. Prima munitio tyrannorum veterum regiam clausit; in proxima conjuges eorum cum liberis habitabant; hic quoque dei oraculum est; ultima munimenta satellitum armi-

gerorumque sedes erant. Est et aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem; Solis aquam vocant; sub lucis ortum tepida manat, medio die, cujus vehementissimus est calor, frigida eadem fluit, inclinato in vesperam calescit, media nocte fervida exæstuat, quoque nox propius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum adveto tepore langvescat.

Ac tum quidem regem propius adeuntem maximus natu e sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Jovem reddere adfirmans. Ille se vero et accipere ait et agnoscere, humanæ sortis oblitus; consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. Æque is in adulationem compositus terrarum omnium rectorem fore ostendit. Post hæc institit quærere, an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent. Sacerdos parentem ejus negat ullius scelere posse violari, Philippi autem omnes luisse supplicia; adjecit invictum fore, donec excederet ad deos. Sacrificio deinde facto dona et sacerdotibus et deo data sunt, permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent Jovem. Nihil amplius quæsierunt, quam an auctor esset sibi divinis honoribus colendi suum regem. Hoc quoque acceptum fore Jovi vates respondit. Vera et salubri æstimatione fide oraculi vana profecto responsa sibi dari videre potuisset; sed fortuna, quos uni sibi credere coegit, magna ex parte avidos gloriæ magis quam capaces facit. Jovis igitur filium se appellari non solum passus est, sed etiam jussit, rerumque gesturum famam, dum augere vult tali appellatione, corrupit. Et Macedones, adsveti quidem regio imperio, sed in majore libertatis umbra quam ceteri degentes, immortalitatem adfectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat aut regi, aversati sunt. (*Curtius.*)

XIII.

Omnis vitiosa jactatio est, eloquentiæ tamen in oratore præcipue, adfertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium. Habet enim mens nostra sublime quiddam et erectum et impatiens superioris; ideoque abjectos aut summittentes se libenter adlevamus, quia hoc facere tamquam majores videmur et, quotiens discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur nec tam se majorem quam minores ceteros facere. Inde invident humiliores (hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt nec possunt contendere), rident superiores, improbant boni. Plerumque vero deprendas adrogantium falsam de se opinionem; sed in veris quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quamquam is quidem rerum a se gestarum major quam eloquentiæ fuit in orationibus utique jactator. Et plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit; aut enim tuebatur eos, quibus erat adjutoribus usus in opprimenda conjuratione, aut respondebat invidiæ, cui tamen non fuit par, servatæ patriæ pœnam passus exilium: ut illorum, quæ egerat in consulatu, frequens commemoratio possit videri non gloriæ magis quam defensioni data. Eloquentiam quidem, quam plenissimam diversæ partis advocatis concederet, sibi numquam in agendo immodice adrogavit; illius sunt enim: „Si quid est, judices, ingenii in me, quod sentio quam sit exiguum“ et: „Quod ingenio minus possum, subsidium mihi diligentia comparavi“. Quin etiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamvis multum esset in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen

facultatem magis illi detraxit quam adrogavit sibi, seque non consecutum, sed omnia fecisse, ut posset eam consequi, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnumquam in dialogis, aliena tamen persona, verum de eloquentia sua dicit. Et aperte tamen gloriari nescio an sit magis tolerabile vel ipsa vitii hujus simplicitate quam illa jactatio perversa, si abundans opibus pauperem se, et nobilis obscurum, et potens infirmum, et disertus imperitum plane et infantem vocet. (*Quintilianus.*)

XIV.

Si beneficia in rebus, non in ipsa bene faciendi voluntate consisterent, eo majora essent, quo majora sunt, quæ accipimus. Id autem falsum est; nonnumquam enim magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, qui regum æquavit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit, qui non voluntatem tantum juvandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putavit beneficium, quum daret, qui dedit tamquam non recepturus, recepit tamquam non dedisset, qui occasionem, qua prodesset, et occupavit et quæsivit. Contra ingrata sunt, licet re ac specie magna videantur, quæ dantur aut extorquentur aut excidunt, multoque gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Exiguum est, quod in me contulit, sed amplius non potuit; at hic quod dedit, magnum est, sed dubitavit, sed distulit, sed, quum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit et placere non ei, cui præstabat, voluit; ambitioni dedit, non mihi. Socrati quum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Æschines pauper auditor: „Nihil" inquit „dignum te, quod dare tibi possim, invenio, et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me

ipsum. Hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas cogitesque alios, quum multum tibi darent, plus sibi reliquisse." Cui Socrates: „Quidni tu" inquit „magnum munus mihi dederis, nisi forte te parvo æstimas? Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam quam accepi." Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum et omnem juvenum opulentorum munificentiam. (*Seneca.*)

XV.

Asinius Pollio, qui Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat, testimonium tamen quamvis invitus plenum ei reddidit. „Hujus viri" inquit „tot tantisque operibus mansuris in omne ævum prædicare de ingenio atque industria supervacuum est. Natura autem atque fortuna pariter obsecuta ei, si quidem facies decora ad senectutem prosperaque permansit valetudo, tum pax diutina, cujus instructus erat artibus, contigit. Namque ad priscam severitatem judiciis exactis maxima noxiorum multitudo provenit, quos obstrictos patrocinio incolumes plerosque habebat. Jam felicissima consulatus ei sors petendi et gerendi, magno munere deum, consilio industriaque. Utinam moderatius secundas res et fortius adversas ferre potuisset! namque utrœque quum evenerant ei, mutari eas non posse rebatur. Inde sunt invidiæ tempestates coortæ gravissimæ in eum certiorque inimicis adgrediendi fiducia; majore enim simultates adpetebat animo quam gerebat. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua major pars vitæ atque ingenii stetit, ea judicandum de homine est. Atque ego ne miserandi quidem exitus eum fuisse judicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset." (*Seneca Rhetor.*)

XVI.

C. Plinius Attio Clementi suo S.

Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt; sufficerit unum, Euphrates philosophus. Hunc ego, in Syria quum adulescentulus militarem, penitus et domi inspexi amarique ab eo laboravi; etsi non erat laborandum: est enim obvius et expositus plenusque humanitate, quam præcipit. Atque utinam sic ipse, quam spem tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus suis addidit! Aut ego nunc illas magis miror, quia magis intellego; quamquam ne nunc quidem satis intellego: ut enim de pictore, sculptore, fictore nisi artifex judicare, ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem. Quantum tamen mihi cernere datur, multa in Euphrate sic eminent et elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant et adficiant. Disputat subtiliter, graviter, ornate; frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius, dulcis in primis et qui repugnantes quoque ducat, impellat. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba; quæ licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis adquirunt. Nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis; reverearis occursum, non reformides. Vitæ sanctitas summa, comitas par; insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens, et persvaderi tibi, etiam quum persvaserit, cupias. Jam vero liberi tres, duo mares, quos diligentissime instituit. Socer Pompejus Julianus, quum cetera vita tum vel hoc uno magnus et clarus, quod

ipse provinciæ princeps hunc inter altissimas conditiones generum, non honoribus principem sed sapientia, elegit. Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? an ut magis angar, quod non licet? Nam distringor officio ut maximo sic molestissimo: sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas sed illitteratissimas litteras. Soleo nonnumquam (nam id ipsum quando contingit?) de his occupationibus apud Euphraten queri. Ille me consolatur, adfirmat etiam esse hanc philosophiæ et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere et exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persvadet, satius esse ista facere quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quam in urbem proxime veneris (venias autem eb hoc maturius), illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bono, quo ipse careo, sed contra sensum quendam voluptatis percipio, si ea, quæ mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

XVII.

Die funeris Claudii laudationem ejus Nero exorsus est. Dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos majorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicæ ab externis accidisse pronis animis audita; postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus preferret, ut fuit illi viro ingenium amœnum et temporis ejus auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et præsentia contendere, primum

ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ egnisse. Nam dictator Cæsar summis oratoribus æmulus; et Augusto prompta ac profluens, quæque deceret principem, eloquentia fuit; Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus; etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit; nec in Claudio, quotiens meditata diseereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: cælare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. (*Tacitus.*)

XVIII.

Animantium quanta varietas est, quanta ad eam rem vis, ut in suo quæque genere permaneat! quarum aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ; pluma alias, alias squama videmus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare possum, ad eum pastum capessendum conficiendumque quæ sit in figuris animantium et quam sollers subtilisque discriptio partium quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura beluis et sensum et adpetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando, cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim ungvium

tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum; alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant; quæ autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut camoli, adjuvantur proceritate collorum; manus etiam data elephanto est, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastum. (*Cicero.*)

PARTICULA VII.

I.

Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Æneæ fugiente a Troja atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo Romano conjunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, quum illa civitas cum Pœnis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est, omniaque, quæ ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex ære Dianæ simulacrum, quum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat; nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, videbatur. Aliquot sæculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit; qua in victoria convocatis Siculis omnibus, quod diutissime sæpissimeque Siciliam vexatam a

Carthaginiensibus esse cognorat, jubet omnia conquiri; pollicetur sibi magnæ curæ fore, ut omnia civitatibus, quæ cujusque fuissent, restituerentur. Illo tempore Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua dicimus, redditur; reportatur Segestam, in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et lætitia reponitur. Colebatur a civibus, ab omnibus advenis visebatur; quum quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola; verum tamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis. Sagittæ pendebant ab umero; sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat.

(*Cicero.*)

II.

C. Plinius Avito suo S.

Longum est altius repetere nec refert, quemadmodum acciderit, ut homo minime familiaris cenarem apud quendam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem, ut mihi, sordidum simul et sumptuosum. Nam sibi et paucis opima quædam, ceteris vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera discripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi, aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis nostrisque libertis. Animadvertit, qui mihi proximus recumbebat, et, an probarem, interrogavit. Negavi. „Tu ergo" inquit „quam consvetudinem sequeris?" Respondi: „Eadem omnibus pono; ad cenam enim, non ad notam invito, cunctisque rebus exæquo, quos mensa et toro æquavi." — „Etiamne libertos?" — „Etiam; convictores enim tunc, non libertos puto." Et ille: „Magno tibi constat." — „Minime." — „Qui

fieri potest?" — „Quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti." Et hercule, si gulæ temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consulas. Quorsus hæc? Ne tibi optimæ indolis juveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quotiens tale aliquid inciderit, sub exemplo præmonere, quid debeas fugere. Igitur memento, nihil magis esse vitandum quam istam luxuriæ et sordium novam societatem; quæ quum sint turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. Vale.

III.

L. Papirius Cursor fuit vir non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Præcipua pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit, victoremque cursu omniam ætatis suæ fuisse ferunt seu crurum vi seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum, nec cum ullo asperiorem, quia ipse invicti ad laborem corporis esset, fuisse militiam pediti pariter equitique; equites etiam aliquando ausos ab eo petere, ut sibi pro re bene gesta laxaret aliquid laboris; quibus ille: „Ne nihil remissum dicatis, remitto" inquit, „ne utique dorsum demulceatis, quum ex equis descendetis." Et vis erat in eo viro imperii ingens pariter in socios civesque. Præneſtinus prætor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem; quem quum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securem jussit; ad quam vocem exanimi stante Præneſtino, „Agedum, lictor, excide radicem hanc"

inquit „incommodam ambulantibus“, perhaumque ultimi supplicii metu multa dicta dimisit. Haud dubie illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana staret. Quin eum parem destinant animis Magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam vertisset. (*Livius.*)

IV.

Eximie hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est, quod eam filiam esse Usus et Memoriæ dixit. Eo namque argumento demonstrat: qui sapiens rerum esse humanarum velit, non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus comminus noscendis periclitandisque, atque omnia acta et eventa firmiter meminisse, et proinde sapere atque consulere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerint, non quæ libri tantum aut magistri per quasdam inanitates verborum et imaginum tamquam in mimo aut in somnio objectaverint. Versus Afranii sunt in togata, cui Sellæ nomen est:

„Usus me genuit, mater peperit Memoria;
Sophian vocant me Grai, vos Sapientiam.“

Item versus est in eandem ferme sententiam Pacuvii, quem Macedo philosophus, vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum: „Ego odi homines ignava opera et philosopha sententia.“ Nihil enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat, quam quod homines ignavi ac desides, operti barba et pallio, mores et emolumenta philosophiæ in lingvæ verborumque artes converterent et vitia facundissime accusarent intercutibus ipsi vitiis madentes. (*A. Gellius.*)

V.

Alexander Dareo ad Issum victo in Phœnicen descendit et oppidum Byblon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaque conditorum inclitam. Regnabat in ea Strato Darei opibus adjutus; sed quia deditionem magis popularium quam sua sponte fecerat, regno visus indignus, Hephæstionique permissum, ut, quem eo fastigio e Sidoniis dignissimum arbitraretur, constitueret regem. Erant Hephæstionis hospites clari inter suos duo juvenes; qui facta ipsis potestate regnandi negaverunt quemquam patrio more in id fastigium recipi nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephæstion magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent, „Vos quidem macte virtute“ inquit „estote, qui primi intellexistis, quanto majus esset regnum fastidire quam accipere. Ceterum date aliquem regiæ stirpis, qui meminerit a vobis acceptum habere se regnum.“ Atque illi, quum multos imminere tantæ spei cernerent singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, statuunt neminem esse potiorem quam Abdalonymum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiæ adnexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat; intentusque operi diurno strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subito deinde, de quibus ante dictum est, cum regiæ vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tum rege eo salutato alter ex iis: „Habitus“ inquit „hic vestis, quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Abluo corpus illuvie æternisque sordibus squalidum; cape regis animum et in eam for-

tunam, qua dignus es, istam continentiam perfer. Et quum in regali solio residebis vitæ necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris hujus status, in quo accipis regnum, immo hercule propter quem." Somnio similis res Abdalonymo videbatur; interdum, satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percontabatur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et injecta vestis purpura auroque distincta, et fides a jurantibus facta, serio jam rex iisdem comitantibus in regiam pervenit. Fama deinde, ut solet, strenue tota urbe discurrit; aliorum studium, aliorum indignatio eminebat; divitissimus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum rex protinus jussit diuque contemplatus: „Corporis" inquit „habitus famæ generis non repugnat; sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris." Tum ille: „Utinam" inquit „eodem animo regnum pati possim! Hæ manus sufficere desiderio meo; nihil habenti nihil defuit." Magnæ indolis specimen ex hoc sermone Abdalonymi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei jussit, sed pleraque etiam ex Persica præda; regionem quoque urbi adpositam dicioni ejus adjecit. (*Curtius.*)

VI.

Quum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque, quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius ajebat non laturos nuntium belli et ad primam adventus famam terga versuros; alius nihil esse dubii, quin illa mole non vinci solum Græcia, sed obrui posset; magis verendum, ne vacuas desertasque urbes invenirent, et profugis hostibus vastæ solitudines relinquerentur non habituris, ubi tantas vires exercere possent; alius vix illi rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra,

explicandis equestribus copiis campestria, vix patere cælum satis ad emittenda omni manu tela. Quum in hunc modum multa undique jacturentur, quæ hominem nimia æstimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedæmonius solus dixit ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam et gravem metuendam esse ducenti; non enim vires habere, sed pondus; immodica unumquam regi posse, nec diu durare, quidquid regi non posset. „In primo" inquit „statim monte Lacones objecti dabunt sui experimentum. Tot ista gentium milia trecenti morabuntur; hærebunt in vestigio fixi et commissas sibi angustias armis tuebuntur, corporibus obstruent; tota illos Asia non movebit loco; tantas minas belli et pæne totius generis humani irruentis impetum paucissimi sistent. Scies te fugari posse, quum scieris posse retineri. Verum est, quod dicitur, majorem belli apparatum esse, quam qui recipi ab iis regionibus possit, quas oppugnare constituis; sed hæc res contra nos est; ob hoc ipsum te Græcia vincet, quia non capit; uti toto te non potes. Præterea, quæ una rebus salus est, occurrere ad primos impetus et inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labantia; multo ante vinceris, quam victum esse te sentias. Ceterum non est, quod exercitum tuum ob hoc sustineri non putes posse, quia numerus ejus duci quoque ignotus est; nihil tam magnum est, quod perire non possit, cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa." Acciderunt quæ Demaratus prædixerat: divina atque humana impellentem trecenti stare jusserunt, stratusque passim per totam Græciam Perses intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. (*Seneca.*)

VII.

Clementiæ civilitatisque Augusti multa et magna documenta sunt. Ne enumerem, quot et quos diversarum partium venia et incolumitate donatos principem etiam in civitate locum tenere passus sit, Junium Novatum et Cassium Patavinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exilio punire satis habuit, quum ille Agrippæ juvenis nomine asperrimam de se epistulam in vulgus edidisset, hic convivio pleno proclamasset neque votum sibi neque animum deesse confodiendi eum. Quadam vero cognitione quum Æmilio Æliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiceretur, quod male opinari de Cæsare soleret, conversus ad accusatorem commotoque similis „Velim" inquit, „hoc mihi probes; faciam, sciat Ælianus et me lingvam habere; plura enim de eo loquar"; nec quicquam ultra aut statim aut postea inquisivit. Tiberio quoque de eadem re, sed violentius, apud se per epistulam conquerenti ita rescripsit: „Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere et nimium indignari quemquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit." (*Suetonius.*)

VIII.

Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo; deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia non soleas ne ipse quidem id facere. Ita in eadem epistula illum et dixisti amicum et negasti; nam si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verse amicitiæ. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius.

Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum. Isti vero præpostere officia permiscent, qui contra præcepta Theophrasti, quum amaverunt, judicant, et non amant, quum judicaverunt. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere quam tecum. Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis; sed quia interveniunt quædam, quæ consvetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies. Nam quidam fallere docuerunt, dum timent falli, et illi jus peccandi suspicando fecerunt. Quid est, quare ego ulla verba coram amico meo retraham? quid est, quare me coram illo non putem solum? Quidam, quæ tantum amicis committenda sunt, obviis narrant et in quaslibet aures, quidquid ipsos urit, exonerant; quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant et, si possent, ne sibi quidem crediturí interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est; utrumque enim vitium est, et omnibus credere et nulli; sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. (*Seneca.*)

IX.

Optimis moribus et maxuma concordia populus Romanus inter secundum et postremum bellum Carthaginiense egit. At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sveta mala post Carthaginis excidium maxume aucta sunt. Nam injuriæ validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliæque dissensiones domi fuere jam inde a principio, neque regibus exactis amplius, quam dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est,

æquo et modesto jure agitatum; deinde servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in imperio agere. Quibus sævitiis et maxume fænoris onere oppressa plebs quum adsiduis bellis tributum et militiam simul toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit; tumque tribunos plebis et alia jura sibi paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. At postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes adfectabant; bonique et mali cives appellati, non ob merita in rem publicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissumus et injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati; adeo juventus luxu atque avaritia corrupta, ut merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares neque alios pati. (*Sallustius.*)

X.

Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis occultans stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat; quippe confitenti consultantique supererant spes viresque; quum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures; ac, si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hostium augendæ famæ deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo; quos omnes Vitellius secreto percontatus interfici jussit. Notabili constantia centurio Julius Agrestis post multos sermones, quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, ut ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium Primum, legatum Vespasiani, tentavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. Missi, qui locum prœlii, Cremonæ vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit abnuentique vera esse, quæ adferret, atque ultro corruptum arguenti: „Quando quidem“ inquit „magno documento opus est, nec alius jam tibi aut vitæ aut mortis meæ usus, dabo, cui credas“; atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. Quidam jussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere. (*Tacitus.*)

XI.

Romulus quum septem et triginta regnavisset annos et hæc egregia duo firmamenta rei publicæ peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut, quum subito sole obscurato non comparuisset, deorum in numero collocatus putaretur; quam opinionem nemo unquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria. Atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui di ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum sæculis fuerunt, ut fingendi proclivis esset ratio, quum imperiti facile ad credendum impellerentur; Romuli autem ætatem minus his sescentis annis, jam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus.

Nam si, id quod Græcorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiadis septimæ, in id sæculum Romuli cecidit ætas, quum jam plena Græcia poetarum et musicorum esset, minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. Nam centum et octo annis post quam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant; Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi ætati triginta annis anteponunt fere; ex quo intellegi potest permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum, ut jam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam nonnumquam incondite; hæc ætas autem, tam exculta præsertim et prudens, omne, quod fieri non potest, respuit. (*Cicero.*)

XII.

Primi, quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sint, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia ac velut futuræ mox artis primordia maximis, qui post eos exstiterunt, auctoribus præferant, proprio quodam intellegendi, ut mea opinio est, ambitu. Post Zeuxis atque Parrhasius non multum ætate distantes, circa Peloponnesia ambo tempora (nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur), plurimum arti addiderunt; quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus atque, ut existimant, Homerum secutus, cui validissima quæque forma etiam in feminis placet; ille vero ita circumscripsit omnia,

ut eum legum latorem vocent, quia deorum atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditæ, ceteri, tamquam ita necesse sit, sequuntur. Floruit autem circa Philippum et usque ad successores Alexandri pictura præcipue, sed diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus, quas *φαντασίας* vocant, Theon Samius, ingenio et gratia, quam in se ipse maxime jactat, Apelles est præstantissimus; Euphranorem admirandum facit, quod et ceteris optimis studiis inter præcipuos et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. (*Quintilianus.*)

XIII.

Alexander Lyciæ Pamphyliæque rebus compositis ad urbem Celænas exercitum admovit. Media illa tempestate mœnia interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclitus. Fons ejus ex summo montis cacumine excurrens in subjectam petram magno strepitu aquarum cadit; inde diffusus circumjectos rigat campos, liquidus et suas dumtaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari similis locum poetarum mendacio fecit; quippe traditum est Nymphas amore amnis retentas in illa rupe considere. Ceterum quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet; at quum extra munimenta se evolvit, majore vi ac mole agentem undas Lycum appellant. Alexander urbem quidem destitutam ab suis intrat, arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus caduceatorem præmisit, qui denuntiaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. Illi caduceatorem in turrem et situ et opere multum editam perductum, quanta esset altitudo, intueri jubent ac nuntiare Alexandro non eadem ipsum et incolas æstimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles

esse; ad ultimum pro fide morituros. Ceterum ut circumsederi arcem et omnia sibi in dies artiora esse viderunt, sexaginta dierum inducias pacti, ut, nisi intra eos auxilium Dareus ipsis misisset, dederentur, postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad præstitutam diem permisere se regi. (*Curtius.*)

XIV.

Ciceronis est liber, qui Brutus inscribitur, in cujus extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert: se apud Q. Mucium jus civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiæ partes penitus hausisse; neque iis doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, non denique ullius artis ingenuæ scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita est enim: ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia, neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum artium, certarum rerum angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui de omni quæstione pulchre et ornate et ad persvadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. Hoc sibi illi veteres persvaserant; ad hoc efficiendum intellegebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis lingvam modo et vocem

exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de justo et injusto disputatur; hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate disserimus, ita tamen ut plerumque hæc in vicem misceantur; de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et habet intellectum eorum, quæ nec in virtutibus nec in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid sit ira, promptius ad miserationem impellat, qui scit, quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et, prout cujusque causæ natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt, apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam Dialecticis proficiet; alios fusa et æquabilis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos jam locos; dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon jocunditatem; ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes adsumere iisque, prout res poscet, uti alienum erit oratori.

(*Dialog. de Oratoribus.*)

XV.

C. Plinius Fusco suo S.

Quæris, quemadmodum in secessu, quo jam diu frueris, putem te studere oportere. Utile in primis, et multi præcipiunt, vel ex Græco in Latinum vel ex Latino vertere in Græcum; quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur; simul, quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intellegentia ex hoc et judicium adquiritur. Nihil obfuerit, quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere lectisque conferre ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius; magna gratulatio, si nonnulla tu, magnus pudor, si cuncta ille melius. Licebit interdum et notissima eligere et certare cum electis: audax hæc, non tamen improba, quia secreta, contentio; quamquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumpsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant, antecessisse. Poteris et, quæ dixeris, post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere; laboriosum istud et tædio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque, postremo nova velut membra peracto corpori intexere nec tamen priora turbare. Scio nunc tibi esse præcipuum studium orandi; sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum svaserim. Ut enim terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex historia locum adprehendas, volo epistulam diligentius scribas. Nam sæpe in

oratione quoque non historicarum modo, sed prope poeticarum descriptionum necessitas incidit, et pressus sermo purusque ex epistulis petitur.

XVI.

Cornelius Tacitus in præfatione Historiarum his verbis utitur. „Initium mihi operis Servius Galba iterum, Titus Vinius consules erunt. Nam post conditam urbem octingentos et viginti prioris ævi annos multi auctores rettulerunt: dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate; postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere; simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicæ ut alienæ, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes; ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile averseris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur; quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec injuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano incohatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim; sed incorruptam fidem professis neque cum amore quisquam et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, principatum divi Nervæ et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis et quæ sentias dicere licet."

XVII.

Non est philosophia populare artificium nec ostentationi paratum; non in verbis, sed in rebus est, nec in hoc adhibetur, ut cum aliqua oblectatione consu-

matur dies, ut dematur otio nausea: animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum et per ancipitia fluctuantium derigit cursum. Sine hac nemo intrepide potest vivere, nemo secure: innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigant, quod ab hac petendum est. Dicet aliquis: „Quid mihi prodest philosophia, si fatum est? quid prodest, si deus rector est? quid prodest, si casus imperat? Nam et mutari certa non possunt et nihil præparari potest adversus incerta, si aut consilium meum deus occupavit decrevitque, quid facerem, aut consilio meo nihil fortuna permittit." Quidquid est ex his, Lucili, vel si omnia hæc sunt, philosophandum est; sive nos inexorabili lege fata constringunt, sive arbiter deus universi cuncta disposuit, sive casus res humanas sine ordine impellit et jactat, philosophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, ut deo libenter pareamus, ut fortunæ contumaciter; hæc docebit, ut deum sequaris, feras casum. (*Seneca.*)

XVIII.

T. Labienus declamavit non quidem populo, sed egregie. Non admittebat populum, et quia nondum hæc consvetudo erat inducta, et quia putabat turpe ac frivolæ jactationis; adfectavit enim censorium supercilium, quum alius animo esset. Magnus orator, qui multa impedimenta eluctatus ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat quam volentibus: summa egestas erat, summa infamia, summum odium; magna autem debet esse eloquentia, quæ invitis placeat, et, quum ingenia favor hominum ostendat, favor alat, quantam vim esse oportet, quæ inter obstantia erumpat! Nemo erat, qui non, quum homini omnia

obiceret, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquæ, vigor novæ, cultus inter nostrum ac prius sæculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare; libertas tanta, ut libertatis nomen excederet, et, quia passim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur; animus inter vitia ingens et ad similitudinem ingenii sui violentus, qui Pompejanos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova pœna; effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri comburerentur: res nova et invisitata, supplicium de studiis sumi. Bono hercules publico ista in pœnas ingeniorum versa crudelitas post Ciceronem inventa est; quid enim futurum fuit, si triumviris libuisset et ingenium Ciceronis proscribere? Sunt di immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, et magna exempla in caput invenientium regerunt, ac justissima patiendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, sæpe expiat suo: ejus, qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt, jam non malo exemplo, quia suo. Non tulit hanc Labienus contumeliam nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit atque ita includi, veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur; non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando, quum recitaret historiam, magnam partem illum libri convolvisse et dixisse: „Hæc, quæ transeo, post mortem meam legentur." Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit! Cassii Severi, hominis Labieno invisissimi, belle dicta res ferebatur illo tempore, quo libri Labieni ex senatus consulto comburebantur: „nunc me" inquit „vivum uri oportet, qui illos edidici." (*Seneca Rhetor.*)

XIX.

Nemo usque adeo tardus et hebes et demissus in terram est, ut ad divina non erigatur ac tota mente consurgat, utique ubi novum e cœlo aliquod miraculum fulsit. Nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consvetudo subducit. Ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant, contra minimarum quoque rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distingvitur, populum non convocat; at quum aliquid ex more mutatum est, omnium in cœlo vultus est. Sol spectatorem, nisi deficit, non habet, nemo observat lunam nisi laborantem; tunc urbes conclamant, tunc pro se quisque superstitione vana trepidat. Quanto illa majora sunt, quod sol totidem, ut ita dicam, gradus quot dies habet et annum circuitu suo claudit, quod a solstitio statum inclinat et ad minuendos dies vertitur, dat noctibus spatium, quod sidera abscondit, quod terras non urit, sed calorem suum intentionibus ac remissionibus temperando fovet, quod lunam, quum tanto major sit illa, numquam implet nisi adversam sibi neque obscurat! Hæc tamen non adnotamus, quamdiu ordo servatur; si quid turbatum est ac præter consvetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeo naturale est magis nova quam magna mirari. (*Seneca.*)

XX.

Thermopylarum jugum, sicut Appennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit. Ante saltum Thermopylarum in septentrionem versa Epirus et Perrhæbia et Magnesia et Thessalia est et Phthiotæ

Achæi et sinus Maliacus; intra fauces ad meridiem vergunt Ætoliæ pars major et Acarnania et cum Locride Phocis et Bœotia adjunctaque insula Euboea et, excurrente in altum velut promunturio, Attica terra ac sita ab tergo ei Peloponnesus. Hoc jugum ab Leucate et mari ad occidentem verso per Ætoliam ad alterum mare oriente objectum tendens ea aspreta rupesque interjectas habet, ut non modo exercitus, sed ne expediti quidem facile ullas ad transitum calles inveniant. Extremos ad orientem montes Œtam vocant, quorum quod altissimum est Callidromon appellatur, in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius quam sexaginta passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. Ideo Pylæ et ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur, nobilis Lacedæmoniorum adversus Persas morte magis memorabili quam pugna. (*Livius.*)

XXI.

In libro Ciceronis, qui est de re publica, sic loquitur Scipio Africanus minor. „Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque judicio vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidi, cujus me numquam satiare potuit oratio; tantus erat in homine usus rei publicæ, quam et domi et militiæ quum optime tum etiam diutissime gesserat, et modus in dicendo et gravitate mixtus lepos et summum vel discendi studium vel docendi et orationi vita admodum congruens. Is dicere solebat ob hanc causam præstare nostræ civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis

suis, ut Cretum Minos, Lacedæmoniorum Lycurgus, Atheniensium, quæ persæpe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii; postremo exsangvem jam et jacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius; nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta sæculis et ætatibus. Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate."

PARTICULA VIII.

I.

Cæsar periit sexto et quinquagesimo ætatis anno. Suspicionem quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius vivere neque curasse, quod valetudine minus prospera uteretur, ideoque et quæ religiones monerent et quæ renuntiarent amici neglexisse. Sunt, qui putent confisum cum novissimo illo senatus consulto, quo omnes simul ei divinos atque humanos honores decreverat, item jure jurando, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant, etiam custodias Hispanorum, cum gladiis stipantium se, removisse; alii e diverso opinantur, insidias undique imminentes subire semel quam cavere semper maluisse. Quidam dicere solitum ferunt, non tam sua quam rei publicæ interesse, uti salvus esset: se jam pridem potentiæ gloriæ-

que abunde adeptum; rem publicam, si quid sibi evenirct, neque quietam fore et aliquanto deteriore conditione civilia bella subituram. Illud plane inter omnes fere constitit, talem ei mortem pene ex sententia obtigisse. Nam et quondam, quum apud Xenophontem legisset Cyrum ultima valetudine mandasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus subitam sibi celeremque optaverat; et pridie, quam occideretur, in sermone nato super cenam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumque prætulerat.

(Suetonius.)

II.

Corfinium Cæsar obsidebat, tenebatur inclusus Domitius. Imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret. Quum tergiversantem videret, „Quid cunctaris" inquit, „tamquam in tua potestate totum istud sit? mortem rogo armatus." Tum ille promisit et medicamentum innoxium bibendum illi dedit; quo quum sopitus esset, accessit ad filium ejus et: „Jube" inquit „me adservari, dum ex eventu intelligas, an venenum patri tuo dederim." Vixit Domitius et servatus a Cæsare est; prior tamen illum servus servaverat. Sub divo Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, jam molesta. Rufus, vir ordinis senatorii, inter cenam optaverat, ne Cæsar salvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat; et adjecerat idem omnes et tauros et vitulos optare. Fuerunt qui illa diligenter audirent. Ut primum diluxit, servus, qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cenam ebrius dixisset, et hortatur, ut Cæsarem occupet atque ipse se deferat. Usus consilio descendenti Cæsari occurrit et, quam malam mentem habuisse se

pridie jurasset, id ut in se et in filios suos reciderct, optavit et Cæsarem, ut ignosceret sibi rediretque in gratiam secum, rogavit. Quum dixisset se Cæsar facere, „Nemo" inquit „credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi donaveris", petiitque non fastidiendam etiam a propitio summam et impetravit. Cæsar ait: „Mea causa dabo operam, ne umquam tibi irascar." Honeste fecit Cæsar, quod ignovit, quod liberalitatem clementiæ adjecit. Quicumque hoc audierit exemplum, necesse est Cæsarem laudet, sed quum servum ante laudaverit. (*Seneca.*)

III.

Dum Alexander in Asia Darium persequitur, Lacedæmonii Agide rege suo duce arma adversus Macedones moverunt; apud Megalenpolin acie congressi cum Antipatro, Alexandri præfecto, diu ancipiti Marte pugnarunt. Inter omnes tamen Lacedæmonios rex eminebat non armorum modo et corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo uno vinci non potuit. Undique nunc comminus nunc eminus petebatur, dinque arma circumferens alia tela clipeo excipiebat, corpore alia vitabat, donec hasta femina perfossa plurimo sangvine effuso destitucre pugnantem. Ergo clipeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, jactationem vulnerum haud facile tolerantem. Non tamen omisere Lacedæmonii pugnam et, ut primum sibi quam hosti æquiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus effuse fluentem in se aciem excepere. Non aliud discrimen vehementius fuisse memoriæ proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnabant: Lacedæmonii vetera, Macedones præsentia decora intuebantur; illi pro libertate, hi pro dominatione pugnabant; Lacedæmoniis dux, Macedonibus locus deerat. Dici quoque unius tam multiplex casus modo spem modo motum utriusque partis augebat, velut de industria inter fortissimos viros certamen æquante fortuna. Tandem Laconum acies langvescere lubrica arma sudore vix sustinens, pedem deinde referre cœpit et urgente hoste apertius fugere. Insequebatur dissipatos victor et emensus cursu omne spatium, quod acies Laconum obtinuerat, ipsum Agin persequebatur. Ille, ut fugam suorum et proximos hostium conspexit, deponi se jussit; expertusque membra, an impetum animi sequi possent, postquam deficere sensit, poplitibus semet excepit, galeaque strenue sumpta clipeo protegens corpus hastam dextera vibrabat, ultro vocans hostem, si quis jacenti spolia demere auderet. Nec quisquam fuit, qui sustineret comminus congredi; procul missilibus adpetebatur, ea ipsa in hostem retorquens, donec lancea nudo pectori infixa est; qua ex vulnere evulsa inclinatum ac deficiens caput clipeo paulisper excepit, dein linquente spiritu pariter ac sangvine moribundus in arma procubuit. Cecidere Lacedæmoniorum quinque milia et trecenti, ex Macedonibus haud amplius mille; ceterum vix quisquam nisi saucius revertit in castra. (*Curtius.*)

IV.

Protagoram, virum in studiis doctrinarum egregium, cujus nomen Plato libro suo illi incluto inscripsit, adulescentem ajunt victus quærendi gratia in mercedem missum vecturasque onerum corpore suo factitavisse. Is de proximo rure Abdera in oppidum, cujus popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo brevi circumdatos portabat. Tum forte Democritus, civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis et

philosophiæ gratia venerandus, quum egrederetur extra urbem, videt eum cum illo genere oneris tam impedito ac tam incohibili facile atque expedite incedentem, et prope accedit et juncturam posituramque ligni scite peritoque factam considerat petitque, ut paululum adquiescat. Quod ubi Protagoras, ut erat petitum, fecit, atque itidem Democritus acervum illum caudicum brevi vinculo comprehensum ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit, interrogavit, quis id lignum ita composuisset; et quum ille a se compositum dixisset, desideravit, uti solveret ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille solvit ac similiter composuit, tum Democritus animi acicm sollertiamque hominis non docti demiratus: „Mi adulescens" inquit, „quum ingenium bene faciendi habeas, sunt majora meliorque, quæ facere mecum possis"; abduxitque eum statim secumque habuit et sumptum ministravit et philosophias docuit et esse cum fecit, quantus postea fuit.

(*A. Gellius.*)

V.

Paucis annis post C. Marii sextum consulatum tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque quam fortuna usus. Qui quum senatui priscum restituere cuperet decus et judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intellegentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis majora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut male facta collegarum ejus quam vel optime ab ipso cogitata senatus

probaret magis, et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret, injurias, quæ ab illis intendebantur, æquo animo reciperet. Tum conversus Drusi animus, quando bene incepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ; quod quum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui adfixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed quum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumque frequentiam effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ: „Ecquandone" inquit, „propinqui amicique, similem mei civem habebit res publica?" Hunc finem clarissimus juvenis vitæ habuit; cujus morum minime omittatur argumentum. Quum ædificaret domum in Palatio, promitteretque ei architectus ita se eam ædificaturum, ut libera a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset, „Tu vero" inquit, „si quid in te artis est; ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit." (*Vell. Paterculus.*)

VI.

Tiberius biennio continuo post adeptum imperium pedem porta non extulit; sequenti tempore præterquam in propinqua oppida et, quum longissime, Antio tenus nusquam afuit, idque perraro et paucos dies, quamvis provincias quoque et exercitus revisurum se sæpe pronuntiasset et prope quotannis profectionem præpararet vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia et colonias dispositis, ad extremum vota pro itu et reditu suo suscipi passus. Sed orbatus utroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit, constanti et opinione et sermone pene omnium, quasi neque

rediturus umquam esset et cito mortem etiam obiturus. Quod paulo minus utrumque evenit; nam neque Romam amplius rediit et paucos post dies juxta Tarracinam in prætorio, cui Speluncæ nomen est, cenante eo complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt; multisque convivarum et ministrorum elisis ipse præter spem evasit. Peragrata Campania, quum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam causam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit, præcipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, sæpta undique præruptis immensæ altitudinis rupibus et profundo mari. Urbi egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes summovit. (*Suetonius.*)

VII.

Reperio apud scriptores mortuo Germanico Adgandestrii principis Chattorum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur, responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci; qua gloria æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. Ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Marobodno regnum adfectans libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis quum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, prœliis ambiguus, bello non victus. Septem et triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romansi

haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi. (*Tacitus.*)

VIII.

C. Plinius Vestricio Spurinnæ suo et Cottiæ S.

Composuisse me quædam de filio vestro non dixi vobis, quum proxime apud vos fui, primum quia non ideo scripseram, ut dicerem, sed ut meo amori, meo dolori satisfacerem; deinde quia te, Spurinna, quum audisses recitasse me, ut mihi ipse dixisti, quid recitassem simul audisse credebam. Præterea veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. Nunc quoque paulisper hæsitavi, id solum, quod recitavi, mitterem exigentibus vobis, an adiicerem, quæ in aliud volumen cogito reservare. Neque enim adfectibus meis uno libello carissimam mihi et sanctissimam memoriam prosequi satis est; cujus famæ latius consuletur, si dispensata et digesta fuerit. Verum hæsitanti mihi, omnia, quæ jam composui, vobis exhiberem, an adhuc aliqua differrem, simplicius et amicius visum est omnia, præcipue quum adfirmetis intra vos futura, donec placeat emittere. Quod superest, rogo, ut pari simplicitate, si qua existimabitis addenda, commutanda, omittenda, indicetis mihi. Difficile est huc usque intendere animum in dolore, difficile; sed tamen, ut scalptorem, ut pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet, ita me quoque formate, regite, qui non fragilem et caducam, sed immortalem, ut vos putatis, effigiem conor efficere; quæ hoc diuturnior erit, quo verior, melior, absolutior fuerit. Valete.

IX.

Quomodo ad nos boni honestique notitia pervenit? Hoc Stoicis videtur observatio effecisse et rerum sæpe factarum inter se collatio. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia nos obstupefecerant; hæc cœpimus tamquam perfecta mirari. Fabricius Pyrrhi regis aurum reppulit majusque regno judicavit regias opes posse contemnere. Idem medico Pyrrhi promittente venenum se regi daturum monuit Pyrrhum, caveret insidias. Ejusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere. Admirati sumus ingentem virum, quem non regis, non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem, quod difficillimum est, in bello innocentem, qui aliquod esse crederet etiam in hostes nefas, qui in summa paupertate, quam sibi decus fecerat, non aliter refugerit divitias quam venenum. „Vive" inquit „beneficio meo, Pyrrhe, et gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non posse corrumpi." Horatius Cocles solus implevit pontis angustias adimique a tergo sibi reditum, dum modo iter hosti auferretur, jussit et tam diu prementibus restitit, donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. Postquam respexit et extra periculum esse patriam periculo suo sensit, „Veniat, si quis vult" inquit „sic euntem sequi", jecitque se in præceps, et non minus sollicitus in illo rapido alveo fluminis, ut armatus, quam ut salvus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, quam si ponte venisset. Hæc et ejusmodi facta imaginem nobis ostendere virtutis. (*Seneca.*)

X.

Alexandro Babylone mortuo non muris urbis luctus continebatur, sed proximam regionem ab ea,

deinde magnam partem Asiæ cis Euphraten tanti mali fama pervaserat. Ad Darei quoque matrem celeriter perlata est. Abscisa ergo veste, quam induta erat, lugubrem sumpsit laceratisque crinibus humi corpus abjecit. Adsidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens propriasque causas doloris in communi mæstitia retractans. Sed omnium suorum mala Sisigambis una capiebat; illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam præterita revocaverat; crederes modo amissum Dareum et pariter miseræ duorum filiorum exsequias esse ducendas. Flebat simul mortuos vivosque: quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum esse se captas, iterum excidisse regnum; qui mortuo Dareo ipsas tueretur, repperisse, qui post Alexandrum respiceret, utique non reperturas. Subibat inter hæc animum, octoginta fratres suos eodem die ab Ocho sævissimo regum trucidatos adjectumque stragi tot filiorum patrem; e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum superesse; ipsum Dareum floruisse paulisper, ut crudelius posset exstingui. Ad ultimum dolori succubuit, obvolutoque capite accidentes genibus suis septem nepotemque aversata cibo pariter abstinuit et luce. Quinto, postquam mori statuerat, die exstincta est. Magnum profecto Alexandri indulgentiæ in eam justitiæque in omnes captivos documentum est mors hujus, quæ, quum sustinuisset post Dareum vivere, Alexandro esse superstes erubuit. Et hercule justo æstimantibus regem liquet, bona naturæ ejus fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis. Vis incredibilis animi; laboris patientia propemodum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit; liberalitas sæpe majora

tribuens, quam a dis petuntur, clementia in devictos (tot regna aut reddita, quibus ea ademerat bello, aut dono data); mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemptio; gloriæ laudisque ut justo major cupido, ita juveni et in tantis nec amittenda rebus; jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat, Philippum ultus erat; jam in omnes fere amicos benignitas, erga milites benevolentia; jam consilium par magnitudini animi et, quantam vix poterat ætas ejus capere, sollertia — ingentes profecto dotes erant. Illa fortunæ: dis æquare se et cælestes honores accersere et talia svadentibus oraculis credere et dedignantibus venerari ipsum vehementius, quam par esset, irasci, in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores, quos ante victoriam spreverat. Nam iracundiam et cupidinem vini sicut juventa irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, quum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quotiens illum a morte revocavit! quotiens temere in pericula vectum perpetua facilitate protexit! Vitæ quoque finem eundem illi quem gloriæ statuit: exspectavere eum fata, dum Oriente perdomito aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. (*Curtius.*)

XI.

Deus ille princeps rerum fabricatorque mundi nullo magis hominem separavit a ceteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præstantiora in illis mutis videmus, eadem minus egere adquisitæ extrinsecus opis. Nam

et ingredi citius et pasci et tranare aquas citra docentem natura ipsa sciunt, et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, et arma iis ingenita quædam, et ex obvio fere victus; circa quæ omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum dis immortalibus voluit. Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret neque tam esset in nobis manifesta, nisi, quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus, quod magis deesse ceteris animalibus quam intellectum et cogitationem quandam videmus. Nam et moliri cubilia et nidos texere et educare fetus et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta operaque quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum ac mellis, efficere nonnullius fortasse rationis est; sed quia carent sermone, quæ id faciunt, irrationalia vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille cælestis! Quare, si nihil a dis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quam quo ipsi homines ceteris animalibus præstant? eo quidem magis, quod nulla in arte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde cœperit et quousque jam provecta sit orandi facultas; et adhuc augeri potest. Nam ut omittam, defendere amicos, regere consiliis senatum, populum, exercitum et, in quæ velit, ducere quam sit utile conveniatque bono viro, nonne pulchrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu verbisque, quibus utuntur omnes, tantum adsequi laudis et gloriæ, ut non loqui et orare, sed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris? (*Quintilianus.*)

XII.

Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ fideliter deditos contumaces esse ac refractarios et contemptores magistratuum aut regum eorumve, per quos publica administrantur. Ex contrario enim nulli adversus illos gratiores sunt, nec immerito; nullis enim plus præstant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus multum ad propositum bene vivendi confert securitas publica, necesse est auctorem hujus boni ut parentem colant, multo quidem magis quam illi inquieti et in medio positi, qui multa principibus debent, sed multa et imputant, quibus numquam tam plene occurrere ulla liberalitas potest, ut cupiditates illorum, quæ crescunt, dum implentur, exsatiet. Quisquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti est, nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est. Adice nunc, quod nemo eorum, qui in re publica versantur, quos vincat, sed a quibus vincatur, aspicit, et illis non tam jucundum est multos post se videre quam grave aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit; nec ambitio tantum insatiabilis est, verum cupiditas omnis, quia incipit semper a fine. At ille vir sincerus ac purus, qui reliquit et curiam et forum et omnem administrationem rei publicæ, ut ad ampliora secederet, diligit eos, per quos hoc ei facere tuto licet, solusque illis gratuitum testimonium reddit et magnam rem nescientibus debet. „Verum alios quoque rex viribus suis protegit.“ Quis negat? Sed quemadmodum Neptuno plus debere se judicat ex iis, qui eadem tranquillitate usi sunt, qui plura et pretiosiora illo mari vexit, et animosius a mercatore quam a vectore solvitur votum, et ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores ac purpuras et auro pensanda portabat, quam qui vilissima quæque et saburræ loco futura congesserat, sic hujus pacis beneficium ad omnes pertinentis altius ad eos pervenit, qui illa bene utuntur. (*Seneca.*)

XIII.

Ex tempestate, qua Sejani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus, M. Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: „Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat agnoscere crimen quam abnuere; sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Sejano amicum et, ut essem, expetisse et, postquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris regendis prætoriis cohortibus, mox urbis et militiæ munia simul obeuntem; illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus; contra, quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quemquam exemplo adsumo; cunctos, qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsiniensem, sed Claudiæ et Juliæ domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuam, Cæsar, generum, tui consulatus socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros et quibus de causis extollas; tibi summum rerum judicium di dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro, quæ coram habentur: cui ex te opes, honores, quis plurima juvandi nocendive potentia; quæ Sejano fuisse nemo negaverit. Abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo adsequare. Nec, patres conscripti, ultimum Sejani diem, sed sedecim

annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur; libertis quoque ac janitoribus ejus notescere pro magno accipiebatur. Quid ergo? indistincta hæc defensio et promiscua dabitur? Immo justis terminis dividatur: insidiæ in rem publicam, consilia cædis adversum imperatorem puniantur; de amicitia et officiis idem finis et te, Cæsar, et nos absolverit." Constantia orationis et quia repertus erat, qui efferret, quæ omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores ejus, additis quæ ante deliquerant, exilio aut morte multarentur. (*Tacitus.*)

XIV.

Quum bellum Persei, Macedonum regi, indictum esset, P. Licinius Crassus consul, cui Macedonia provincia obvenerat, votis in Capitolio nuncupatis paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majestate geritur; præcipue vero convertit oculos animosque, quum ad magnum bellum nobilemque aut virtute aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque summam rem publicam tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animos, qui belli casus, quam incertus fortunæ eventus communisque Mars belli sit; adversa secundaque, quæ inscitia et temeritate ducum clades sæpe acciderint, quæ contra bona prudentia et virtus attulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ consulem ad bellum mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem in Capitolium ad eosdem deos, a quibus proficiscatur, visuri an hostibus eam præbituri lætitiam sint? Persei autem regi, adversus quem ibatur, famam et bello

clara Macedonum gens et Philippus pater, inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, præhebat, tum ipsius Persei numquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli exspectatione celebrari nomen. Cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. (*Livius.*)

XV.

L. Columella in libro duodecimo, ubi, qualis villica esse debeat, disserit, matronarum mores et vitæ domesticæ disciplinam mutatam his fere verbis commemorat: Et apud Græcos et apud Romanos usque in patrum nostrorum memoriam fere domesticus labor matronarum fuit, tamquam ad requiem forensium exercitationum omni cura deposita patribusfamilias intra domesticos penates se recipientibus. Erat tum summa matronarum erga maritos reverentia cum concordia et diligentia mixta, flagrabatque mulier pulcherrima æmulatione, studens negotia viri cura sua meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus aut femina proprium esse juris sui diceret, sed in commune conspirabatur ab utroque, ut cum forensibus viri negotiis matronalis industria rationem parem faceret. Itaque ne villici quidem aut villicæ magna erat opera, quum ipsi domini quotidie negotia sua revisserent atque administrarent. Nunc vero, quum pleræque matronæ sic luxu et inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi confectæ vestes fastidio sint perversaque cupidine maxime placeant, quæ grandi pecunia et totis pene censibus emuntur, nihil mirum est, easdem ruris et instrumentorum agrestium curam gravari sordidissimumque negotium ducere paucorum dierum in villa moram. Quam ob causam quum in totum exo-

leverit vetus ille matrumfamilias mos Sabinarum atque Romanarum, necessaria irrepsit villicæ cura, quæ tueretur officia matronæ, quomodo jam et villici quoque successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habitaverant rura.

XVI.

Quam iniqui sunt divinorum munerum æstimatores et quidam professi sapientiam! Queruntur, quod non magnitudine corporum æquemus elephantos, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros, quod solidior sit cutis beluis, decentior dammis, densior ursis, mollior fibris, quod sagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi, multa animalia nandi facilitate. Et quum quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut velocitatem corporum et vires, ex diversis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum injuriam vocant et neglegentes nostri deos, quod non bona valetudo etiam vitiis inexpugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiæ provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus, quod non in æquo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti et agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quod terrenis præfecerunt! Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? Quidquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde, quisquis es iniquus æstimator sortis humanæ, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanto valentiora animalia sub jugum miserimus, quanto velociora consequamur, quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum. Bene

æstimata naturæ indulgentia confitearis necesse est in deliciis te illi fuisse. (*Seneca.*)

XVII.

Crotoniatæ quondam, quum florerent omnibus copiis et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleoten Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religiositatem remansit, et Helenam pingere se simulacrum velle dixit; quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si, quo in genere plurimum posset, in eo magno opere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis ilico quæsivit ab eis, quænam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt in palæstram atque ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum laude maxima retulerunt. Quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur, „Horum" inquiunt illi „sorores sunt apud nos virgines; quare, qua sint illæ dignitate, potes ex his suspicari." „Præbete igitur mihi, quæso" inquit, „ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur." Tum Crotoniatæ publico de consilio virgines unum

in locum conduxerunt et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poetæ memoriæ prodiderunt, quod ejus essent judicio probatæ, qui pulchritudinis habere verissimum judicium debuisset. Neque enim putavit omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno se in corpore reperire posse, ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit; quæ, tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur.

(*Cicero.*)

XVIII.

Ut scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor exæstuante ab imis præcordiis sangvine, labra quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complosæ sæpius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus, fœda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit an deforme. Cetera licet abscondere et in abdito alere; ira se profert et in faciem exit, quantoque major est, hoc effervescit manifestius. Non vides, ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant iræ notæ, ac tota corpora solitum quietumque

egrediantur habitum et feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu; taurorum cornua jactantur in vacuum, et harena pulsu pedum spargitur; leones fremunt, inflantur irritatis colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, simul ira invasit, nova feritatis accessio. (*Seneca.*)

XIX.

Si quis vestrum, judices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit et in hac causa profecto neminem præponendum mihi esse actorem putabit. Quum quæstor in Sicilia fuissem, judices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quæsturæ nominisque mei relinquerem, factum est, uti quum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem; me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus ajebant, non jam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciæ defenderem: sese jam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustu-

lisset; quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno prætore per triennium pertulisse; rogare et orare, ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret. Tuli graviter et acerbe, judices, in eum me locum adduci, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent, aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adulescentia dedidissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam eos habere actorem Q. Cæcilium, qui præsertim quæstor in sua provincia fuisset. Quo ego adjumento sperabam hanc a me posse molestiam demoveri, id mihi erat adversarium maxime; nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos quæstor non fuisset. Adductus sum, judices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, vetere consvetudine institutoque majorum, ut onus hujus laboris atque officii non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. (*Cicero.*)

XX.

C. Plinius Maturo Arriano suo S.

Gratularis mihi, quod acceperim auguratum. Jure gratularis, primum quod gravissimi principis judicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est; deinde quod sacerdotium ipsum quum priscum et religiosum tum hoc quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi. Nam alia, quamquam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur; in hoc fortunæ hactenus licet, ut dare possit. Mihi vero illud etiam gratulatione dignum videtur, quod successi Julio Frontino, principi viro, qui me nominationis

die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tamquam in locum suum cooptaret; quod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videretur. Te quidem, ut scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod M. Tullius augur fuit; lætaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem æmulari studiis cupio. Sed utinam, ut sacerdotium idem, ut consulatum multo etiam juvenior quam ille sum consecutus, ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte adsequi possim! Sed nimirum, quæ sunt in manu hominum, et mihi et multis contigerunt; illud vero, ut adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, quod dari non nisi a dis potest. Vale.

XXI.

In epistula, qua de morte Metronactis philosophi querebaris, tamquam et potuisset diutius vivere et debuisset, æquitatem tuam desideravi, quæ tibi in omni persona, in omni negotio superest, in una re deest, in qua omnibus: multos inveni æquos adversus homines, adversus deos neminem. Objurgamus quotidie fatum: „Quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur? quare senectutem et sibi et aliis gravem extendit?“ Utrum, obsecro te, æquius judicas te naturæ an tibi parere naturam? quid autem interest, quam cito exeas, unde utique exeundum est? Non ut diu vivamus, curandum est, sed ut satis: nam ut diu vivas, fato opus est, ut satis, animo. Longa est vita, si plena est; impletur autem, quum animus sibi bonum suum reddidit et ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu. „Octoginta annis vixit.“ Interest, mortem ejus ex quo die numeres. „Octo-

ginta annis vixit." Immo octoginta annis fuit; nisi forte sic vixisse cum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere. „At ille obiit viridis." Sed officia boni civis, boni amici, boni filii exsecutus est; in nulla parte cessavit; licet ætas ejus imperfecta sit, vita perfecta est. Obsecro te, Lucili, hoc agamus, ut, quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra non multum pateat, sed multum pendat; actu illam metiamur, non tempore. Vis scire, quid inter hunc interesit vegetum contemptoremque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ stipendiis atque in summum bonum ejus evectum, et illum, cui multi anni transmissi sunt? Alter post mortem quoque est, alter ante mortem periit. Laudemus itaque et in numero felicium reponamus eum, cui, quantulumcumque temporis contigit, bene collocatum est. (*Seneca.*)

PARTICULA IX.

I.

Dinocrates architectus cogitationibus et sollertia fretus, quum Alexander rerum potiretur, profectus est e Macedonia ad exercitum regiæ cupidus commendationis. Is e patria a propinquis et amicis tulit ad primos ordines et purpuratos litteras, aditus ut haberet faciliores, ab eisque exceptus humane petiit, uti quam primum ad Alexandrum perduceretur. Quum polliciti essent, tardiores fuerunt idoneum tempus exspectantes; itaque Dinocrates, ab his se existimans ludi, ab se petiit præsidium. Erat enim amplissima statura, facie grata, forma dignitateque summa: his igitur na-

turæ muneribus confisus vestimenta posuit in hospitio et oleo corpus perunxit caputque coronavit populea fronde, lævum umerum pelle leonina texit, dextraque clavam tenens incessit contra tribunal regis jus dicentis. Novitas populum quum avertisset, conspexit eum Alexander; admirans ei jussit locum dari, ut accederet, interrogavitque, quis esset. At ille: „Dinocrates" inquit, „architectus Macedo, qui ad te cogitationes et formas adfero dignas tuæ claritatis; namque Athon montem formavi in statuæ virilis figuram, cujus manu læva designavi civitatis amplissimæ mœnia, dextra pateram, quæ exciperet omnium fluminum, quæ sunt in eo monte, aquam, ut inde in mare profunderetur." Delectatus Alexander narratione formæ statim quæsiit, si essent agri circa, qui possent frumento eam civitatem tueri. Quum invenisset, non posse nisi transmarinis subvectionibus, „Dinocrates" inquit, „attendo egregiam formæ compositionem et ea delector, sed animadverto, si qui deduxerit eo loci coloniam, fore, ut judicium ejus vituperetur. Ut enim natus infans sine nutricis lacte non potest ali neque ad vitæ crescentis gradus perduci, sic civitas sine agris et eorum fructibus in mœnibus adfluentibus non potest crescere nec sine abundantia cibi frequentiam habere populumque sine copia tueri. Itaque, quemadmodum formationem puto probandam, sic judico locum improbandum, teque volo esse mecum, quod tua opera sum usurus." Ex eo Dinocrates ab rege non discessit et in Ægyptum est eum persecutus. Ibi Alexander quum animadvertisset portum naturaliter tutum, emporium egregium, campos circa totam Ægyptum frumentarios, immanis fluminis Nili magnas utilitates, jussit eum suo nomine civitatem Alexandriam

constituere. Ita Dinocrates a facie dignitateque corporis commendatus ad eam nobilitatem pervenit.

(*Vitruvius.*)

II.

Scitum est inter Protogenen et Apellen quod accidit. Ille Rhodi vivebat; quo quum Apelles adnavigasset avidus cognoscendi opera ejus fama tantum sibi cognita, continuo officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplæ magnitudinis in machina aptatam picturæ una custodiebat anus. Hæc foris esse Protogenen respondit interrogavitque, a quo quæsitum diceret. „Ab hoc" inquit Apelles, arreptoque penicillo liniam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Et reverso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem dixisse, Apellen venisse, non cadere in alium tam absolutum opus; ipsumque alio colore tenuiorem liniam in ipsa illa duxisse abeuntemque præcepisse, si redisset ille, ostenderet adiceretque hunc esse, quem quæreret. Atque ita evenit. Revertit enim Apelles, et vinci erubescens tertio colore linias secuit nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum devolavit hospitem quærens; placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Consumptam eam incendio Augusti Cæsaris domus in Palatio audio, spectatam ante tanto spatio nihil aliud continentem quam tres lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem et eo ipso adlicientem omnique opere nobiliorem. Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo numquam tam occupatum diem agendi, ut non liniam ducendo exerceret artem, quod ab eo in proverbium venit. (*Plinius Major.*)

III.

Cæsar ante paucos dies, quam ædilitatem iniret, venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et L. Autronio post designationem consulatus ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur, et trucidatis, quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur, constitutaque ad arbitrium re publica Sullæ et Autronio consulatus restitueretur. Meminerunt hujus conjurationis Tanusius Geminus in historiis, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus. De hac significare videtur et Cicero, in quadam ad Axium epistula referens Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo ædilis cogitarat. Tanusius adicit Crassum pœnitentia vel metu diem cædi destinatum non obisse, et ideireo ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedisse; convenisse autem Curio sit, ut togam de umero deiceret. Idem Curio auctor est, conspirasse cum etiam cum Cn. Pisone adulescente, cui ob suspicionem urbanæ conjurationis provincia Hispania ultro extra ordinem data sit, pactumque, ut simul foris ille, ipse Romæ ad res novas consurgerent; destitutum utriusque consilium morte Pisonis. (*Suetonius.*)

IV.

Magno opere laudanda est moderatio et lenitas eorum, quibus nec ad irascendum causa defuit nec ad ulciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regis tabernaculo faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime faciunt: de rege suo male existimabant? Audierat omnia Antigonus, ut-

pote quum inter dicentes et audientem palla interesset; quam ille leviter commovit et: „Longius" inquit „discedite, ne vos rex audiat." Idem quadam nocte, quum quosdam ex militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter et inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant, et quum ignorantes, a quo adjuvarentur, explicuisset, „Nunc" inquit „maledicite Antigono, cujus vitio in has miserias incidistis, ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit." Idem tam miti animo hostium suorum maledicta quam civium tulit. Itaque quum in parvulo quodam castello Græci obsiderentur et fiducia loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni jocarentur et nunc staturam humilem nunc collisum nasum deriderent, „Gaudeo" inquit „et aliquid boni spero, si in castris meis Silenum habeo." Quum hos dicaces fame domuisset, captis sic usus est, ut eos, qui militiæ utiles erant, in cohortes discriberet, ceteros præconi subiceret; idque se negavit facturum fuisse, nisi expediret iis dominum habere, qui tam malam haberent lingvam. (*Seneca.*)

V.

Alexandro in Syria versanti litteræ a Dareo reddunturque, quibus ut superbe scriptis vehementer offensus est; præcipue eum movit quod Dareus sibi regis titulum nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat, ut accepta pecunia, quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem sibi et conjugem liberosque restitueret; de regno sequo, si vellet, Marte contenderet; si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio cederet alieni imperii finibus, socius amicusque esset; in ea se fidem et dare paratum et accipere. Contra Alexander in

hunc maxime modum rescripsit: „Rex Alexander Dareo S. Cujus nomen sumpsisti, Dareus Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Græcorum Ionias omni clade vastavit, cum magno deinde exercitu mare trajecit, illato Macedoniæ et Græciæ bello. Rursus Xerxes gentis ejusdem ad oppugnandos nos cum immanibus barbarorum copiis venit; qui navali prœlio victus Mardonium tamen reliquit in Græcia, ut absens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat ab iis interfectum esse, quos ingentis pecuniæ spe sollicitaverant vestri? Impia enim bella suscipitis et, quum habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero. Et di quoque pro meliore stant causa: magnam partem Asiæ in dicionem redegi meam, te ipsum acie vici. Quem etsi nihil a me impetrare oportebat, utpote qui ne belli quidem in me jura servaveris, tamen, si veneris supplex, et matrem et conjugem et liberos sine pretio recepturum esse promitto. Et vincere et consulere victis scio. Quod si te committere nobis times, dabimus fidem impune venturum. De cetero, quum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere." (*Curtius.*)

VI.

Cum Epaminonda vires quoque rei publicæ Thebanorum ceciderunt. Nam sicuti, telo si primam aciem præfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illo ablato duce Thebanorum rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt, ut non tam illum amisisse quam cum illo interisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum gessere, nec

postea virtutibus sed cladibus insignes fuere, ut manifestum sit patriæ gloriam et natam et exstinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior an dux esset. Nam et imperium non sibi, sed patriæ semper quæsivit, et pecuniæ adeo parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit. Gloriæ quoque non cupidior quam pecuniæ; quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt, honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam litterarum studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato. Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit; nam ut relatus in castra semanimis vocem spiritumque collegit, id unum a circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis; quod ut servatum audivit adlatumque velut laborum gloriæque socium osculatus est, iterum quæsivit, utri vicissent; ut audivit, Thebanos, bene habere se rem dixit atque ita velut gratulabundus patriæ exspiravit. (*Justinus.*)

VII.

Quam multos cives adversus patriam ingratos videmus usque in ultima ejus exitia! Ingratus est Coriolanus, sero et post sceleris pœnitentiam pius; posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina; parum est illi capere patriam, nisi verterit, nisi Allobrogum in illam cohortes immiserit, et trans Alpes accitus hostis vetera et ingenita odia satiaverit ac diu debitas inferias Gallicis bustis duces Romanos persolverit. Ingratus C. Marius, ad consulatus a caliga perductus, qui, nisi Cimbricis cædibus Romana funera æquaverit, nisi civilis exitii et trucidationis non tantum dederit signum, sed ipse signum fuerit,

parum repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sulla, qui patriam durioribus remediis, quam pericula erant, sanavit, qui, quum a Prænestina arce usque ad Collinam portam per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in urbe prœlia, alias cædes; legiones duas, quod crudele est, post victoriam, quod nefas, post fidem in angulo congestas contrucidavit et proscriptionem commentus est, ut, qui civem Romanum occidisset, impunitatem, pecuniam, tantum non civitatem acciperet. Ingratus Cn. Pompejus, qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus invaserat, hanc gratiam rei publicæ reddidit, ut in possessionem ejus alios quoque induceret, quasi potentiæ suæ detracturus invidiam, si, quod nulli licere debebat, pluribus licuisset. Ingratus ipse Pompeji hostis ac victor; a Gallia Germaniaque bellum in urbem circumegit, et ille plebicola, ille popularis castra in circo Flaminio posuit propius, quam Porsinnæ fuerant. Temperavit quidem jus crudelitatemque victoriæ; quod dicere solebat, præstitit: neminem occidit nisi armatum. Quid ergo est? Ceteri arma cruentius exercuerunt, satiati tamen aliquando abjecerunt; hic gladium cito condidit, numquam posuit. Ingratus Antonius in dictatorem suum, quem jure cæsum pronuntiavit, interfectores ejus in provincias et imperia dimisit, patriam vero proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam post tot mala destinavit ne Romanis quidem regibus, ut, quæ Achæis, Rhodiis, plerisque urbibus claris jus integrum libertatemque cum immunitate reddiderat, ipsa tributum spadonibus penderet. (*Seneca.*)

VIII.

Quintilius Varus, illustri magis quam nobili ortus familia, vir fuit ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore ita animo immobilior, otio magis castrorum quam bellicæ adsvetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor, Syria, cui præfuerat, declaravit, quam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquit. Is quum exercitui, qui erat in Germania, præesset, concepit Germanos esse homines, qui nihil præter vocem membraque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam velut inter viros pacis gaudentes dulcedine jurisdictionibus trahebat æstiva. At illi, quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi, simulantes fictas litium series et nunc provocantes alter alterum in jurgia, nunc agentes gratias, quod ea Romana justitia finiret, feritasque sua bonitate incognitæ disciplinæ mitesceret, et solita armis discerni jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium, usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, adsiduus militiæ nostræ prioris comes, cum jure etiam civitatis Romanæ decus equestris consecutus gradus, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est, haud imprudenter speculatus neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, et frequentissimum initium esse calamitatis securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilii recepit; opprimi posse Romanos et dicit et persvadet; decretis facta

jungit, tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem clarique nominis, Segesten, indicatur; obstabant tamen fata consiliis omnemque animi ejus aciem præstrinxerant. Quippe ita se res habet, ut plerumque, cujus fortunam mutaturus est deus, consilia corrumpat efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit ei, etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat itaque se credere; nec diutius post primum indicem secundo relictus locus. Igitur exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus, inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus nunc ira nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit; quippe paterni avitique exempli successor se ipse transfixit. At Vala Numonius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli spoliatum equite peditem relinquens fuga eum alis Rhenum petere ingressus est. Quod factum ejus fortuna ulta est; non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semustum hostilis laceraverat feritas, caput ejus abscisum latumque ad Maroboduum et ab eo missum ad Cæsarem gentilicii tamen tumuli sepultura honoratum est. (*Vellejus Paterculus.*)

IX.

Omnis populus, omnis civitas, omnis res publica consilio quodam regenda est, ut diuturna sit; id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quæ causa genuit civitatem; deinde aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam aut susci-

piendum est multitudini atque omnibus. Quum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et regnum ejus rei publicæ statum; quum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur; illa autem est civitas popularis (sic enim appellant), in qua in populo sunt omnia. Atque horum trium generum quodvis, si teneat illud vinclum, quod primum homines inter se rei publicæ societate devinxit, non perfectum illud quidem neque mea sententia optimum est, tolerabile tamen. Sed et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis juris et consilii, et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, quum omni consilio communi ac potestate careat, et quum omnia per populum geruntur quamvis justum atque moderatum, tamen ipsa æquabilitas est iniqua, quoniam habet nullos gradus dignitatis. Itaque si Cyrus ille Perses justissimus fuit sapientissimusque rex, tamen mihi populi res non maxime expetenda fuisse illa videtur, quum regeretur unius nutu; si Massilienses per delectos et principes cives summa justitia regantur, inest tamen in ea condicione populi similitudo quædam servitutis; si Athenienses quibusdam temporibus sublato Areopago nihil nisi populi scitis ac decretis agebant, quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas. (*Cicero.*)

X.

In Peloponneso Messenii desciverant a concilio Achaico. Cujus belli causas et ordinem expromere non hujus loci est; eventus memorabilis est, quod, quum bello superiores essent Achæi, Philopœmen prætor eorum capitur in valle quadam cum equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere tradunt;

sed pudor relinquendi equites, nobilissimos gentis, ab ipso nuper lectos, tenuit. Quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen præbet sustinens impetus hostium, prolapso equo et suo ipse casu et onere equi super eum ruentis haud multum abfuit quin exanimaretur, septuaginta annos jam natus et diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Jacentem hostes superfusi oppresserunt; cognitumque primum a verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque et ex valle devia in viam portant, vix sibimet ipsi præ necopinato gaudio credentes; pars nuntios Messenen præmittunt debellatum esse, Philopœmenem captum adduci. Primum adeo incredibilis visa res, ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuntius audiretur; deinde ut super alium alius idem omnes adfirmantes veniebant, tandem facta fides; et priusquam adpropinquare urbi satis scirent, ad spectaculum omnes, simul liberi ac servi, pueri quoque cum feminis, effunduntur. Ægre summoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopœmenem, potuerunt. Æque conferta turba iter reliquum clauserat; et quum pars maxima exclusa a spectaculo esset, theatrum repente, quod propinquum viæ erat, compleverunt et, ut eo adduceretur in conspectum populi, una voce omnes exposcebant. Magistratus et principes veriti, ne quem motum misericordia præsentis tanti viri faceret, quum alios verecundia pristinæ majestatis collatæ præsenti fortunæ, alios recordatio ingentium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt, deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt, dicente prætore Diocrate esse, quæ pertinentia ad summam belli percontari eum magistratus vellent. Inde abducto eo

in curiam et senatu vocato consultari cœptum. Jam invesperascebat, et non modo cetera, sed ne in proximam quidem noctem ubi satis tuto custodiretur, expediebant. Obstupuerant ad magnitudinem pristinæ ejus fortunæ virtutisque, et neque ipsi domum recipere custodiendum audebant nec cuiquam uni custodiam ejus satis credebant. Admonent deinde quidam esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato septum; eo vinctus demittitur, et saxum ingens, quo operitur, machina superimpositum est. Ita loco potius quam homini cuiquam credendam custodiam rati lucem insequentem exspectaverunt. Postero die multitudo quidem integra, memor pristinorum ejus in civitatem meritorum, parcendum ac per eum remedia quærenda esse præsentium malorum censebant; defectionis auctores, quorum in manu res publica erat, in secreto consultantes omnes ad necem ejus consentiebant; sed utrum maturarent an differrent, ambigebatur. Vicit pars avidior pœnæ, missusque, qui venenum ferret. Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt quam quæsisse, si incolumis Lycortas (is alter imperator Achæorum erat) equitesque evasissent. Postquam dictum est incolumes esse, „Bene habet" inquit, et poculo impavide exhausto haud ita multo post exspiravit.

(*Livius.*)

XI.

Pythagoras Sami Mnesarcho locuplete negotiatore natus magnisque sapientiæ incrementis formatus Ægyptum primo, mox Babylona ad perdiscendos siderum motus originemque mundi spectandam profectus summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam et Lacedæmona ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclitas ea tempestate leges contenderat; quibus

omnibus instructus Crotona venit populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis revocavit. Laudabat quotidie virtutem et vitia luxuriæ casusque civitatium ea peste perditarum enumerabat; tantumque studium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuristos incredibile videretur. Matroharum quoque separatam a viris doctrinam et puerorum a parentibus frequenter habuit; docebat nunc has pudicitiam et obsequia in viros, nunc illos modestiam et litterarum studium. Inter hæc velut genetricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat; consecutusque disputationum adsiduitate erat, ut matronæ auratas vestes ceteraque dignitatis suæ ornamenta velut instrumenta luxuriæ deponerent eaque omnia delata in Junonis ædem ipsi deæ consecrarent, præ se ferentes vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In juventute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Sed trecenti ex juvenibus quum sodalicii jure sacramento quodam nexi separatam a ceteris civibus vitam exercerent, quasi cœtum clandestinæ conjurationis haberent, civitatem in se converterunt; quæ eos, quum in unam domum convenissent, cremare voluit. In quo tumultu sexaginta ferme periere; ceteri in exilium profecti. Pythagoras autem, quum annos viginti Crotone egisset, Metapontum emigravit ibique decessit; cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent eumque pro deo colerent.

(*Justinus.*)

XII.

Cicero in oratione pro L. Murena in Stoicorum disciplinam jocans, cui M. Cato, qui Murenam accusabat, addictus erat, eique Academicorum, quam ipse

probabat, contrariam ponens sic loquitur. „Fuit quidam summo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus sententiæ sunt et præcepta hujusmodi: sapientem gratia numquam moveri, numquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse nisi stultum et levem; viri non esse neque exorari neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos, si mendicissimi, divites, si servitutem serviant, reges; nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt; omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit; sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare numquam. Hæc homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus arripuit, neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Nostri autem illi (fateor enim me quoque in adulescentia diffisum ingenio meo quæsisse adjumenta doctrinæ), nostri, inquam, illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati, ajunt apud sapientem valere aliquando gratiam; viri boni esse misereri; distincta genera esse delictorum et dispares pœnas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum sapientem sæpe aliquid opinari, quod nesciat; irasci nonnumquam, exorari eundem et placari; quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare, de sententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderandas."

XIII.

Quum Perseus, rex Macedoniæ, se Romanis tradidisset et in castra ad L. Æmilium Paullum, consulem

Romanum, duceretur, consurrexit consul et jussis sedere aliis progressusque paulum introeunti regi dextram porrexit summittentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua passus introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere jussit. Prima percontatio fuit, qua subactus injuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret. Quum responsum exspectantibus cunctis terram intuens diu tacitus fieret, rursum consul: „Si juvenis regnum accepisses, minus equidem miraror ignorasse te, quam gravis aut amicus aut inimicus esset populus Romanus; nunc vero, quum et bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses et pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses, quod fuit consilium, quorum et vim in bello et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse quam pacem malle?" Nec interrogatus nec accusatus quum responderet: „Utcumque tamen hæc, sive errore humano seu casu seu necessitate, ciderunt, bonum animum habe; multorum regum et populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis præbet." Hæc Græco sermone Perseo; Latine deinde suis: „Exemplum insigne cernitis" inquit „mutationis rerum humanarum. Vobis hoc præcipue dico, juvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet nec præsenti credere fortunæ, quum, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum neque prospera flatu suo efferent nec adversa infringent." (*Livius.*)

XIV.

Non præterit me, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui et causas secretaque ejus cruere atque aliis noscenda prodere. Quando tam multa persequar, tam sparsa colligam, tam occulta perspiciam? Premit a tergo senectus et obicit annos inter vana studia consumptos; tanto magis urgeamus, et damna ætatis male exemptæ labor sarciat; nox ad diem accedat, occupationes recidantur, sibi totus animus vacet et ad contemplationem sui saltem in ipso fine respiciat. Faciamus, quod in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate pensant moram; festinemus et opus nescio an insuperabile, magnum certe, sine ætatis excusatione tractemus. Consumpsere se quidam, dum acta regum externorum componunt, quæque passi invicem ausique sunt populi. Quanto satius est sua mala exstingvere quam aliena posteris tradere! Quanto potius deorum opera celebrare quam Philippi aut Alexandri latrocinia ceterorumque, qui exitio gentium clari non minores fuere pestes mortalium quam inundatio, qua planum omne offusum est, quam conflagratio, qua pars magna animantium exaruit! Quemadmodum Hannibal superjecerit Alpes, scribunt, quemadmodum confirmatus Hispaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit fractisque rebus et post Carthaginem pertinax reges pererraverit ducem promittens, exercitum petens, quemadmodum non desierit omnibus angulis bellum senex quærere; adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat. Quanto satius est, quid faciendum sit, quam quid factum, quærere, se docere eos, qui sua permisere fortunæ, nihil stabile ab illa datum fuisse, ejus omnia aura fluere mobilius!

Nescit enim quiescere, gaudet lætis tristia substituere, utique miscere. Itaque secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat; alternæ sunt vices rerum.

(*Seneca.*)

XV.

C. Plinius Sparso suo S.

Æschinen ajunt potentibus Rhodiis legisse orationem suam, deinde Demosthenis, summis utramque clamoribus. Quod tantorum virorum scriptis contigisse non miror, quum orationem meam proxime doctissimi homines hoc studio, hoc adsensu, hoc etiam labore per biduum audierint, quamvis intentionem eorum nulla hinc et inde collatio, nullum quasi certamen accenderet. Nam Rhodii quum ipsis orationum virtutibus tum etiam comparationis aculeis excitabantur; nostra oratio sine æmulationis gratia probabatur; an merito, scies, quum legeris librum, cujus amplitudo non sinit me longiore epistula præloqui. Oportet enim nos in hac certe, in qua possumus, breves esse, quo sit excusatius, quod librum ipsum, non tamen ultra causæ amplitudinem, extendimus. Vale.

XVI.

C. Plinius Gemino suo S.

Nostine hos, qui omnium libidinum servi sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, et gravissime puniunt, quos maxime imitantur? quum eos etiam, qui non indigent clementia ullius, nihil magis quam lenitas deceat. Atque ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscat, tamquam ipse quotidie peccet, ita peccatis abstineat, tamquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles

simus, exorabiles istis etiam, qui dare veniam nisi sibi nesciunt; mandemusque memoriæ, quod vir mitissimus et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere solebat: „Qui vitia odit, homines odit.“ Quæris fortasse, quo commotus hæc scribam. Nuper quidam — sed melius coram; quamquam ne tunc quidem; vereor enim, ne id, quod improbo, consectari, carpere, referre huic, quod quum maxime præcipimus, repugnet. Quisquis ille, qualiscumque, silcatur; quem insignire exempli nihil, non insignire humanitatis plurimum refert. Vale.

XVII.

Anno u. c. quingentesimo duodeseptuagesimo Galli Transalpini per saltus ignotos antea viæ transgressi in Venetiam locum oppido condendo ceperunt. Triennio post M. Claudio consuli, cui Gallia provincia obvenerat, legiones ad novum oppidum admoventi Galli sese dediderunt; duodecim milia armatorum erant. Plerique arma ex agris rapta habebant; ea ægre patientibus iis adempta, quæque alia aut populantes agros rapuerant aut secum attulerant. De his rebus qui quererentur, legatos Romam miserunt. Introducti in senatum exposuerunt se, superante in Gallia multitudine, inopia coactos agri et egestate ad quærendam sedem Alpes transgressos. Quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine ullius injuria consedisse; oppidum quoque ædificare cœpisse, quod indicium esset nec agro nec urbi ulli vim adlaturos venisse. Nuper M. Claudium ad se nuntium misisse bellum se cum iis, ni dederentur, gesturum; se certam, etsi non speciosam, pacem quam incerta belli præoptantes dedidisse se prius in fidem quam in potestatem populi Romani. Post paucos dies jussos et urbe et agro decedere sese

tacitos abire, quo terrarum possent, in animo habuisse; arma deinde sibi et postremo omnia alia, quæ haberent, adempta. Orare se senatum populumque Romanum, ne in se innoxios deditos acerbius quam in hostes sævirent. Huic orationi senatus ita responderi jussit, neque illos recte fecisse, quum in Italiam venerint oppidumque in alieno agro nullius Romani magistratus permissu ædificare conati sint, neque senatui placere deditos spoliari; itaque se cum iis legatos ad consulem missuros, qui, si redeant, unde venerint, omnia iis sua reddi jubeant, quique protinus eant trans Alpes et denuntient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant; Alpes prope inexsuperabilem finem in medio esse; non utique iis melius fore, qui eas primi pervias fecissent. Legati missi L. Furius, Q. Minucius, L. Manlius. Galli redditis omnibus, quæ sine cujusquam injuria habebant, Italia excesserunt. (*Livius.*)

XVIII.

P. Mario, L. Asinio consulibus Antistius prætor probrosa adversus Neronem carmina factitavit vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini, soceri sui, receperat, majestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quæri, ut condemnatum a senatu intercessione tribunicia morti eximeret. Quum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum; censuitque Junius Marullus, consul designatus, adimendam reo præturam necandumque more majorum. Ceteris inde adsentientibus Pætus Thrasea, multo cum honore Cæsaris et acer-

rime increpito Antistio, non, quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatui statuendum disseruit; carnificem et laqueum pridem abolita, et esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia et temporum infamia supplicia decernerentur. Quin in insula, publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publice clementiæ maximum exemplum futurum. Libertas Thraseæ servitium aliorum rupit, et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere, paucis exceptis, in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque jurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At consules perficere decretum senatus non ausi de consensu scripsere Cæsari. Ille inter pudorem et iram cunctatus postremo rescripsit: nulla injuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam, et pro magnitudine delicti pœnam statui par fuisse; ceterum se, qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere; statuerent, ut vellent; datam et absolvendi licentiam. His atque talibus recitatis et offensione manifesta, non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia ceterive, quæ probaverant, deseruere, pars ne principem objecisse invidiæ viderentur, plures numero tuti, Thrasea sveta firmitudine animi et ne gloria intercideret. (*Tacitus.*)

XIX.

Quis ignorat musicen tantum jam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates et sapientes judicarentur (mittam alios) Orpheus et Linus? quorum utrumque dis genitum, alterum vero, quia rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse posteritatis memoriæ traditum est. Itaque et Timagenes auctor est omnium in litteris studiorum antiquissimam musicen exstitisse, et testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Vergilii nonne canit errantem lunam solisque labores et cetera? quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjunctam. Atque claros nomine sapientiæ viros nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, quum Pythagoras atque eum secuti acceptam sine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipsum ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata. Nam Plato quum in aliis quibusdam tum præcipue in Timaeo ne intellegi quidem nisi ab iis, qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. De philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates jam senex institui lyra non erubescebat? Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse traditum, et exercitus Lacedæmoniorum musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est vehementior, tantum Romana in bellis gloria ceteris præstat. (*Quintilianus.*)

XX.

Eloquentiæ studio non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius vel ad voluptatem dulcius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium

notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra derigenda sunt, quid est utilius quam eam exercere artem, qua semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? Cujus vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intellegitur; sin proprium periculum incropuit, non hercule lorica et gladius in acie firmius mūnimentum quam reo et periclitanti eloquentia, præsidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere sive in judicio sive in senatu sive apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua accinctus et minax disertam quidem, sed inexercitatam et ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jocunditas non uno aliquo momento, sed omnibus diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum, idque scire non pecuniæ, non orbitati, non officii alicujus administrationi, sed sibi ipsi dari, ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad juvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent? Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas quam spectare homines divites et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id, quod optimum sit, se non habere? Jam vero qui togatorum comitatus in egressu, quæ in

publico species, quæ in judiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum et circumfundi coronam et accipere adfectum, quemcumque oratori libuerit! Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo; illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota majora sunt. Sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam, sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia; sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ atque ipsius temeritatis vel præcipua jocunditas est; nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam validiora quæ diu seruntur atque elaborantur, gratiora tamen quæ sua sponte nascuntur. Equidem, ut de me ipso fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus quæsturam aut tribunatum aut præturam accepi, quam eos, quibus mihi pro mediocritate hujus quantulecumque in dicendo facultatis aut in senatu reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsum illos libertos et procuratores principis tueri et defendere datur; tum mihi supra tribunatus et præturas et consulatus ascendere videor, tum habere, quod, si non in animo oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit. Quid? fama et laus cujus artis cum oratorum gloria comparanda est? qui tam illustres sunt in urbe non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud vacuos et adulescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos sæpius vulgus quoque imperitum et tunicatus hic popellus transeuntes nomine vocat et

digito demonstrat? Advenæ quoque et peregrini jam in municipiis et coloniis et provinciis suis auditos, quum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt. (*Dialog. de Oratoribus.*)

XXI.

Silentium et secessus et undique liber animus, ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere, idcoque non statim, si quid obstrepet, abiciendi codices erunt et deplorandus dies, verum incommodis repugnandum et hic faciendus usus, ut omnia, quæ impedient, vincat intentio; quam si tota mente in opus ipsum derexeris, nihil eorum, quæ oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præstat, ut obvios non videamus et itinere erremus, non consequemur idem, si et voluerimus? Non est indulgendum causis desidiæ; nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes studendum existimarimus, semper erit, propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conviviis etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, quum in medio foro, tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quæ ille tantus amator secreti Demosthenes in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consvescebat contionum fremitus non expavescere. (*Quintilianus.*)

XXII.

Post prœlium ad Bedriacum factum ceteris fractus animus; prætorianus miles non virtute se, sed

proditione victum fremebat; ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit; venire Mœsicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse; hos certe nondum victos et, si ita ferret, honestius in acie perituros. His cogitationibus truces aut pavidi extrema desperatione ad iram sæpius quam in formidinem stimulabantur. At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum; simul voluntaria deditio sperabatur. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate et, qui ferociores fuerant, ad pœnitentiam inclinantibus, missa ad victores legatio; nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti; ea res hæsitationem attulit Othonianis, ignaris adhuc, an impetrassent; mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera lætitia detestantes. Iisdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. Spes et præmia in ambiguo, certa funera et luctus, nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mæreret. Requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur; pauces necessarii ipsorum sepelivere; ceterum vulgus super humum relictum. (*Tacitus.*)

PARTICULA X.

I.

Dareus ultimo prœlio ab Alexandro victus media fere nocte Arbela pervenerat, eodemque magnæ partis amicorum ejus ac militum fugam fortuna compulerat. Quibus convocatis exponit haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas urbes agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset; prædam opimam paratamque ipsum et milites ejus spectare. Id suis rebus tali in statu saluti fore; quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Ultima regni sui adhuc intacta esse; inde bello vires haud ægre reparaturum. Occuparet sane gazam avidissima gens et ex longa fame satiaret se auro, mox futura prædæ sibi: usu didicisse se pretiosam supellectilem paelicesque et spadonum agmina nihil aliud fuisse quam onera et impedimenta; eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus desperationis videbatur oratio, quippe Babylona urbem opulentissimam dedi cernentibus; jam Susa, jam cetera ornamenta regni, causam belli, victorem occupaturum. At ille docere pergit non speciosa dictu, sed usu necessaria in rebus adversis sequenda esse; ferro geri bella, non auro, viris, non urbium tectis; omnia sequi armatos; sic majores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur sive confirmatis eorum animis sive imperium magis quam consilium sequentibus Mediæ fines ingressus est. (*Curtius.*)

II.

De origine statuarum marmorearum muliebrium stolatarum, quæ Caryatides dicuntur, hæc tradit Vitruvius sub ipsum initium libri primi de architectura. Carya, civitas Peloponnensis, cum Persis hostibus contra Græciam consensit. Postea Græci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate dilacerata, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronales deponere, uti non uno triumpho ducerentur, sed æterno servitutis exemplo, gravi contumelia pressæ, pœnas pendere viderentur pro civitate. Ideo qui tunc architecti fuerant, ædificiis publicis designaverunt earum imagines oneri ferundo collocatas, ut etiam posteris nota pœna peccati Caryatium memoriæ traderetur. Non minus Lacones, Pausania Cleombroti filio duce Plataico prœlio pauca manu infinitam numerum exercitus Persarum quum superavissent, acto cum gloria triumpho spoliorum et prædæ, porticum Persicam ex manubiis laudis et virtutis civium indicem futuram posteris pro tropæo constituerunt, ibique captivorum simulacra barbarico vestis ornatu, superbia meritis contumeliis punita, sustinentia tectum collocaverunt, ut et hostes horrescerent timore eorum fortitudinis adfecti, et cives id exemplum virtutis aspicientes gloria erecti ad defendendam libertatem essent parati. Itaque ex eo multi statuas Persicas sustinentes epistylia et ornamenta eorum collocaverunt et ita ex eo argumento varietates egregias addiderunt operibus.

III.

Xerxes, rex Persarum, terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter gesto etiam suis contemptui esse

cœpit; quippe Artabanus, præfectus ejus, deficiente quotidie regis majestate in spem regni adductus cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur (nam amicitiæ jure semper illi patebat), trucidatoque rege voto suo obsistentes filios ejus dolo adgreditur. Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit regem a Darco, qui erat adulescens, quo maturius regno potiretur, occisum; impellit Artaxerxen parricidium parricidio vindicare. Quum ventum ad domum Darei esset, dormiens inventus, quasi somnum fingeret, interficitur. Dein quum unum ex regis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret metueretque de regno certamina principum, adsumit in societatem consilii Bagabazum; qui præsenti statu contentus rem prodit Artaxerxi, ut pater ejus occisus sit, ut frater falsa parricidii suspicione oppressus, ut denique ipsi parentur insidiæ. His cognitis Artaxerxes, vereus Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse armatum exercitum jubet; recogniturum se et numerum militum et in armis industriam singulorum. Itaque quum inter ceteros ipse Artabanus armatus adsisteret, rex simulat se breviorem loricam habere; jubet Artabanum secum commutare; exuentem se ac nudatum gladio traicit; tum et filios ejus corripi jubet. Atque ita egregius adulescens et cædem patris et se ab insidiis Artabani vindicavit. (*Justinus.*)

IV.

P. Licinio, C. Cassio consulibus non urbs tantum Roma nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quæ in Europa quæque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenen quum vetus odium stimulabat tum recens ira, quod scelere Persei prope ut victima mactatus Delphis

esset. Prusias, Bithyniæ rex, statuerat abstinere armis et quietus eventum exspectare; nam neque Romanos posse æquum censere, adversus fratrem uxoris se arma ferre, et apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes, Cappadocum rex, præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est junctus Eumeni adfinitate, in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, et pueritiam regis et inertiam tutorum spernens, et ambigendo de Cœle Syria causam belli se habiturum existimabat gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello; quæ vellent tamen omnia et per suos legatos senatui et ipse legatis eorum enixe pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat; tutores et bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlen Syriam, et Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masinissa et frumento juvabat Romanos et auxilia cum elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat; consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos victoria esset, sua quoque in eodem statu mansura esse, neque ultra quicquam movendum; non enim passuros Romanos vim Carthaginiensibus adferri; si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius, rex Illyriorum, fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat, utram foveret partem, impetuque magis quam consilio his aut illis se adjuncturus videbatur.

Hæc sententia regibus quum esset de bello, in liberis gentibus populisque egens ubique multitudo omnis fermo, ut solet a deterioribus stare, ad regem Macedonasque inclinabat; principum diversa cerneres

studia. Pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent, pauci ex his justitia imperii Romani capti, plures ita, si præcipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quorum alios æs alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente statu, præcipites ad novanda omnia agebat, quosdam ventosum ingenium, quia ad Persea magis aura popularis ierat. Tertia pars, optima eadem et prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis quam sub rege malebat esse; si liberum arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri, sed illibatis potius viribus utriusque partis pacem ex æquo manere; ita inter utrosque optimam condicionem civitatum fore, protegente altero semper inopem ab alterius injuria. Hæc sentientes certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant. (*Livius.*)

V.

Aristippus, philosophus Socraticus, naufragio quum ejectus ad Rhodiensium litus animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur: „Bene sperenus; hominum enim vestigia video"; statimque in oppidum Rhodum contendit et recta in gymnasium devenit, ibique de philosophia disputans muneribus est donatus, ut non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui una fuerunt, et vestitum et cetera, quæ opus essent ad victum, præstaret. Quum autem ejus comites in patriam reverti voluissent interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit dicere: ejusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quæ etiam e naufragio una possent enatare. Namque ea vera præsidia sunt

vitæ, quibus neque fortunæ tempestas iniqua neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere. Non minus eam sententiam augendo Theophrastus, hortando doctos potius esse quam pecuniæ confidentes, ita ponit: doctum ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum neque amissis familiaribus et necessariis inopem amicorum, sed in omni civitate esse civem difficilesque fortunæ sine timore posse despicere casus; at qui non doctrinarum sed felicitatis præsidiis putaret se esse vallatum, labidis itineribus vadentem non stabili sed infirma conflictari vita. Epicurus vero non dissimiliter ait pauca sapientibus fortunam tribuere, quæ autem maxima et necessaria sint, animi mentisque cogitationibus gubernari. (*Vitruvius.*)

VI.

Temporibus Tarquinii regis ex Asia Phocæensium juventus ostio Tiberis invecta amicitiam cum Romanis junxit; inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta Massiliam inter Ligures et feras gentes Gallorum condidit, magnasque res, sive dum armis se adversus Gallicam feritatem tuentur, sive dum ultro lacessunt, a quibus fuerant antea lacessiti, gesserunt. Namque Phocæenses exiguitate ac macie terræ coacti studiosius mare quam terras exercuere: piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis devenere; cujus loci amœnitate capti, reversi domum referentes, quæ viderant, plures sollicitavere. Duces classis Simos et Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant,

amicitiam petentes conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat, quam more gentis electo inter epulas genero nuptum tradere ilico parabat. Itaque quum ad nuptias invitati omnes proceres essent, rogantur etiam Græci hospites ad convivium. Introducta deinde virgo quum juberetur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conversa aquam Proti porrigit; qui factus ex hospite gener locum condendæ urbis a socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis in remoto sinu velut in angulo maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes Græcos adsiduis bellis fatigabant; qui periculo propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus in captivis agris multas colonias constituerent. (*Justinus.*)

VII.

Prius quam occideretur Galba, sacrificantem mane haruspex identidem monuit, caveret periculum, non longe percussores abesse. Haud multo post cognoscit teneri castra ab Othone, ac plerisque, ut eodem quam primum pergeret, svadentibus (posse enim auctoritate et præsentia prævalere), nihil amplius quam continere se statuit. Loricam tamen induit linteam, quamquam haud dissimulans parum adversus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant, paucis temere adfirmantibus transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos et in omne obsequium paratos, his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam occisum a se Othonem glorianti „Quo auctore?" responderit; atque in forum

usque processit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat, quum per publicum dimota paganorum turba equos adegissent, viso procul eo parumper restiterunt; dein rursum incitati desertum a suis contrucidarunt. Sunt, qui tradant ad primum tumultum proclamasse eum: „Quid agitis, commilitones? ego vester sum et vos mei"; donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt obtulisse ultro jugulum et, ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur, hortatum. Jugulatus est ad lacum Curtii, ac relictus ita uti erat, donec gregarius miles a frumentatione redeuns abjecto onere caput ei amputavit; et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit, mox inserto per os pollice ad Othonem detulit. (*Svetonius.*)

VIII.

Cæsare Octaviano et Messalla Corvino consulibus debellatum est apud Actium, ubi longe ante quam dimicaretur exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, in illa marcebant omnia; hinc remiges firmissimi, illinc inopia adfectissimi; navium hæc magnitudo modica nec celeritati adversa, illa specie terribilior; hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliquis transfugiebat. Denique in ore atque oculis Antonianæ classis per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium superata. Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusque productis classibus pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum navium Julianarum cornu M. Lurio commissum, lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium; Cæsar ei parti destinatus,

in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. Classis Antonii regimen Publicolæ Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonii regebat Canidius. Ubi initum certamen est, prima occupat fugam Cleopatra; Antonius fugientis reginæ quam pugnantis militis sui comes esse maluit, et imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis etiam detracto capite in longum fortissime pugnandi duravit constantia, et desperata victoria in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interemere, verbis mulcere cupiens, clamitansque et ostendens fugisse Antonium, quærebat, pro quo et cum quo pugnarent. At illi quum diu pro absente dimicassent duce, ægre summissis armis cessere victori, citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persvasum est; fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Idem locatus in terra fecit exercitus, quum se Canidius præcipiti fuga rapuisset ad Antonium. (*Vellejus Paterculus.*)

IX.

Marcellus captis Syracusis, quum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam sed etiam majestatem populi Romani augeret, ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit, hostium quidem illa spolia et parta belli jure; ceterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera licentiæque huic sacra profanaque omnia spoliandi factum est, quæ postremo in Romanos deos templumque id ipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, vertit. Visebatur enim ab externis ad portam Capenam dedicatum a Marcello templum Virtutis et Honoris propter excellentia ejus generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet. Erant tamen haud parvæ reliquiæ belli circa Agrigentum Romanis, Epicydes et Hanno, duces reliqui prioris belli, et tertius novus ab Hannibale missus, Muttines, vir impiger et sub Hannibale magistro omnes belli artes edoctus. Huic ab Epicyde et Hannone Numidæ dati auxiliares, cum quibus ita pervagatus est hostium agros, ita socios ad retinendos in fide animos eorum ferendo in tempore cuique auxilium adiit, ut brevi tempore totam Siciliam impleret nominis sui, nec spes alia major apud faventes rebus Carthaginiensium esset. Itaque inclusi ad id tempus mœnibus Agrigenti Hanno et Epicydes non consilio Muttinis quam fiducia magis ausi egredi extra muros ad Himeram amnem posuerunt castra. Quod ubi perlatum ad Marcellum est, extemplo copias movit et ab hoste quattuor ferme milium intervallo consedit, quid agerent pararentve, exspectaturus. Sed nullum neque locum neque tempus cunctationi consiliove dedit Muttines, transgressus amnem ac stationibus hostium cum ingenti terrore ac tumultu invectus. Postero die prope justo prœlio compulit hostes intra munimenta. Inde revocatus seditione Numidarum in castris facta, quum trecenti ferme eorum Heracleam Minoam concessissent, ad mitigandos revocandosque eos profectus magno opere monuisse duces dicitur, ne absente se cum hoste manus consererent. Id ambo ægre passi duces, magis Hanno, jam ante anxius gloria ejus; is perpulit cunctantem Epicyden, ut transgressi flumen in aciem exirent: nam si Muttinem opperirentur, et secunda pugnæ fortuna evenisset, haud dubie Muttinis gloriam fore. Igitur prœlium sine eo committunt, sed haud magno certamine victi sunt; multa milia hominum cæsa aut capta. Hæc ultima in

Sicilia Marcelli pugna fuit; victor inde Syracusas rediit. (*Livius.*)

X.

Galli abundante multitudine, quum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta milia hominum ad sedes novas quærendas miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ et urbem Romam captam incendit; portio Illyricos sinus per strages barbarorum penetravit et in Pannonia consedit, ubi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu divisis agminibus alii Græciam, alii Macedoniam omnia ferro prosternentes petivere, tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniæ Ptolemæus Ceraunus adventum Gallorum intrepidus audivit iisque cum paucis et incompositis, quasi bella non difficilius quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus occurrit. Igitur Galli duce Belgio ad temptandos Macedonum animos legatos ad Ptolemæum mittunt offerentes pacem, si emere velit; sed Ptolemæus inter suos belli metu pacem Gallos petere gloriatus est, nec minus ferociter se legatis quam inter amicos jactavit, aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint et arma tradiderint: non enim fidem se nisi inermibus habiturum. Renuntiata legatione risere Galli, undique adclamantes brevi sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint. Interjectis aliquot diebus prœlium conseritur; victi Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur; caput ejus amputatum et lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit, ceteri aut capti aut occisi. (*Justinus.*)

XI.

Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in re publica atque in ea se excellentius gerere studuerunt; quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Qui ea, quæ faciebant quæque dicebant, multitudini jocunda volebant esse, populares, qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. Quis ergo iste optimus quisque? Numero, si quæris, innumerabiles; neque enim aliter stare possemus: sunt principes consilii publici, sunt qui eorum sectam sequuntur, sunt proximorum ordinum homines, quibus patet curia, sunt municipales rusticique Romani, sunt negotii gerentes, sunt etiam libertini optimates. Numerus, ut dixi, hujus generis late et varie diffusus est; sed genus universum, ut tollatur error, brevi circumscribi et definiri potest. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt nec natura improbi nec furiosi nec malis domesticis impediti. Efficitur, ut ii sint, qui integri sunt et boni et sani et bene de rebus domesticis constituti. Horum qui voluntati, commodis, opinionibus in gubernanda re publica serviunt, defensores optimatium ipsique optimates gravissimi et clarissimi cives numerantur et principes civitatis. Quid est igitur propositum his rei publicæ gubernatoribus, quod intueri et quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est præstantissimum maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates, qui efficiunt, summi viri et conservatores civitatis putantur; neque enim rerum gerendarum

dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate. Hujus autem otiosæ dignitatis hæc fundamenta sunt, hæc membra, quæ tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciæ, socii, imperii laus, res militaris, ærarium. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum magni animi est, magni ingenii magnæque constantiæ. Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum pœnæ peccatorum suorum conscii novos motus conversionesque rei publicæ quærant, aut qui propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam suo deflagrare. Qui quum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in re publica fluctus excitantur, ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriæ depoposcerunt, enitendumque omni scientia ac diligentia, ut conservatis iis, quæ ego paulo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint et capere otii illum portum et dignitatis.

(*Cicero.*)

XII.

Potentissimis et in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant; cupiunt interdum ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere. Divus Augustus, cui di plura quam ulli præstiterant, non desiit quietem sibi precari et vacationem a re publica petere; omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus

est, ut speraret otium. Hoc labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solacio, aliquando se victurum sibi. Qui omnia videbat ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem lætissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. Exportus erat, quantum illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum occultarum sollicitudinum tegerent; itaque otium optabat, in hujus spe et cogitatione labores ejus residebant, hoc votum erat ejus, qui voti compotes facere poterat. M. Cicero inter Catilinas, Clodios jactatus Pompejosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum re publica et illam pessum euntem tenet, novissime abductus, nec secundis rebus quietus nec adversarum patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa sed sine fine laudatum detestatur! quam flebiles voces expromit in quadam ad Atticum epistola, jam victo patre Pompejo, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente! „Quid agam" inquit „hic, quæris. Moror in Tusculano meo semiliber." Alia deinceps adicit, quibus et priorem ætatem complorat et de præsenti queritur et de futura desperat. Semiliberum se dixit Cicero; at mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procidet, numquam semiliber erit, integræ semper libertatis et solidæ, solutus et sui juris et altior ceteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est? Livius Drusus, vir acer et vehemens, quum leges novas et mala Gracchana movisset, stipatus ingenti totius Italiæ cœtu, exitum rerum non pervidens, quas nec peragere licebat nec jam liberum erat semel incohatas relinquere, execratus inquietam a primordiis vitam dicitur dixisse uni sibi ne puero quidem unquam ferias contigisse. Sero querebatur nullas

sibi ferias contigisse, a puero seditiosus et foro gravis. Disputatur, an ipse sibi manus attulerit; subito enim vulnere accepto collapsus est, aliquo dubitante, an mors ejus voluntaria esset, nullo, an tempestiva. Supervacuum est commemorare plures, qui, quum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt, perosi omnem actum annorum suorum. Sed his querellis nec alios mutaverunt nec se ipsos.

(*Seneca.*)

XIII.

Magna erat severitas ac disciplina majorum circa educandos formandosque liberos. Jam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem major aliqua natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis ejusdem familiæ soboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat; sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Atiam Augusti matrem præfuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et, sive ad rem militarem sive ad juris scientiam sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. — Ergo juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis

ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat; hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse sive in judiciis sive in contionibus adsvescebat. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quamquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem ætatis patronos in plurimis et causis et judiciis cognoscebant, habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex quo facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Sub ejusmodi præceptoribus juvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus et adsvefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consvetudo contionum, sæpe cognitæ populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicumque causæ par erat. Nono decimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Cæsar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodie quoque cum admiratione legimus. (*Dialog. de Oratoribus.*)

XIV.

Mindyridem ajunt fuisse ex Sybaritarum civitate, qui, quum vidisset fodientem et altius rastrum adlevantem, lassum se fieri questus vetuit illum opus in conspectu suo facere. Idem habere se pejus questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset. Ubi animum simul et corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia mollis patitur. Quid est enim, cur tussis alicujus aut sternutamentum aut musca parum curiose fugata in rabiem agat aut obversatus canis aut clavis neglegentis servi manibus

elapsa? Feret iste æquo animo civile convicium et ingesta in contione curiave maledicta, cujus aures tracti subsellii stridor offendit? Perpetietur hic famem et æstivæ expeditionis sitim, qui puero male diluenti nivem irascitur? Nulla itaque res magis iracundiam alit quam luxuria intemperans et impatiens; dure tractandus animus est, ut ictum non sentiat nisi gravem. Irascimur aut iis, a quibus ne accipere quidem potuimus injuriam, aut iis, a quibus accipere injuriam potuimus. Ex prioribus quædam sine sensu sunt, ut liber, quem minutioribus litteris scriptum sæpe projecimus et mendosum laceravimus, ut vestimenta, quæ, quia displicebant, scidimus. His irasci quam stultum est, quæ iram nostram nec meruerunt nec sentiunt! „Sed offendunt nos videlicet, qui illa fecerunt." Primum sæpe ante quam hoc apud nos distinguamus, irascimur; deinde fortasse ipsi quoque artifices excusationes justas adferent: alius non potuit melius facere quam fecit, nec ad tuam contumeliam parum didicit; alius non in hoc, ut te offenderet, fecit. Ad ultimum quid est dementius quam bilem in homines collectam in res effundere? Atque ut his irasci dementis est, quæ anima carent, sic mutis animalibus, quæ nullam injuriam nobis faciunt, quia velle non possunt; non est enim injuria nisi a consilio profecta. Nocere itaque nobis possunt, ut ferrum aut lapis, injuriam quidem facere non possunt. Atqui contemni se quidam putant, ubi iidem equi obsequentes alteri equiti, alteri contumaces sunt, tamquam judicio, non consuetudine et arte tractandi quædam quibusdam subjectiora sint. (*Seneca.*)

XV.

Defendere quidem reos profecto quam facere vir bonus malet; non tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci possit officio, ut aliquem ad reddendam rationem vitæ vocet. Nam et leges ipsæ nihil valeant nisi actoris idonea voce munitæ, et, si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est ut scelera ipsa permissa sint; et licentiam malis dari certe contra bonos est. Quare neque sociorum querellas nec amici vel propinqui necem nec erupturas in rem publicam conspirationes inultas patietur orator, non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia corrigendique mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. Itaque, ut accusatoriam vitam vivere et ad deferendos reos præmio duci proximum latrocinio est, ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in re publica viri non detrectaverunt hanc officii partem, creditique sunt etiam clari juvenes obsidem rei publicæ dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur; idque quum a plurimis aliis tam ab utroque Catone factum est, quorum alter appellatus est sapiens, alter nisi creditur fuisse, vix scio, cui reliquerit hujus nominis locum. (*Quintilianus.*)

XVI.

L. Annæus Seneca in libello, quo Polybium fratris morte adflictum consolatur, hæc scribit: Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non relinquit, avidus, qui non lucri loco habet, quod accepit, sed damni, quod reddidit. Ingratus est, qui injuriam vocat

finem voluptatis, stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum nisi præsentium, qui non et in præteritis adquiescit et ea judicat certiora, quæ abierunt, quia de illis, ne desinant, non est timendum. Nimis angustat gaudia sua, qui eis tantummodo, quæ habet ac videt, frui se putat et habuisse eadem pro nihilo ducit. Cito enim nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit et transit et pæne ante quam veniat auferitur; itaque in præteritum tempus animus mittendus est, et, quidquid nos unquam delectavit, reducendum ac frequenti cogitatione pertractandum est. Longior fidelioque est memoria voluptatium quam præsentia. Quod habuisti ergo optimum fratrem, in summis bonis pone; non est, quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed quam diu habueris. Rerum natura illum tibi non mancipio dedit, sed commodavit; quum visum est deinde, repetiit nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem. Si quis pecuniam creditam solvisse se moleste ferat, eam præsertim, cujus usum gratuitum acceperit, nonne injustus vir habeatur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi; quæ suo jure usa, a quo voluit, debitum suum citius exegit. Non illa in culpa est, cujus nota erat condicio, sed mortalis animi spes avida, quæ numquam sortis suæ meminit, nisi quum admonetur.

XVII.

Secretum atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque, quod illa cæli libertas locorumque amœnitas sublimem animum et beatiorem spiritum parent. Mihi certe jocundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus;

namque ipsa, quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Quare silvarum amœnitas et præterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum auræ volucrumque cantus et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt, ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum velut sæptos maxime tenent. Sed quum in omni studiorum genere tum in hoc præcipue bona valetudo, quæque eam maxime præstat, frugalitas necessaria est, quum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod somno supererit aut decerit; obstat enim diligentiæ scribendi etiam fatigatio, et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt; occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quotiens ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. (*Quintilianus.*)

XVIII.

Ex omnibus timendis maxime timentur ea, quæ per vim potentioris eveniunt; magno enim tumultu veniunt, quum naturalia mala, inopia atque morbi, silentio subeant. Demus itaque operam, ut abstineamus offensis. Interdum populus est, quem timere debeamus, interdum, si ea civitatis disciplina est, ut plurima per senatum transigantur, gratiosi in eo viri, interdum singuli, quibus potestas populi et in populum data est. Hos omnes amicos habere operosum est; satis est inimicos non habere. Itaque sapiens numquam

potentium iras provocabit, immo declinabit, non aliter quam in navigando procellam. Quum peteres Siciliam, trajecisti fretum. Temerarius gubernator contemnit austri minas; ille est enim, qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat; non sinistrum petit litus, sed id, a quo propior Charybdis maria convolvit. At ille cautior peritos locorum rogat, quis æstus sit, quæ signa dent nubes; longe ab illa regione verticibus infami cursum tenet. Idem facit sapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur. Pars enim securitatis et in hoc est, non ex professo eam petere, quia, quæ quis fugit, damnat. Circumspiciendum ergo nobis est, quomodo a vulgo tuti esse possimus. Primum nihil idem concupiscamus; rixa est inter competitores. Deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit; quam minimum sit in corpore tuo spoliorum. Nemo ad humanum sangvinem propter ipsum venit aut admodum pauci; plures computant quam oderunt; nudum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est. Tria deinde ex præcepto veteri præstanda sunt ut vitentur: odium, invidia, contemptus. Quomodo hoc fiat, sapientia sola monstrabit. Difficile enim temperamentum est, verendumque, ne in contemptum nos invidiæ timor transferat, ne, dum calcare nolumus, videamur posse calcari. Multis timendi causas attulit timeri non posse. Undique nos reducamus: non minus contemni quam suspici nocet. Ad philosophiam ergo confugiendum est; hæ litteræ, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos infularum loco sunt. Nam forensis eloquentia et quæcumque alia populum movet ars, adversarios habet: hæc quieta et sui negotii contemni non potest, cui ab omnibus artibus, etiam apud pessimos honor est.

Numquam in tantum convalescet nequitia, numquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non philosophiæ nomen venerabile et sacrum maneat. (*Seneca.*)

XIX.

C. Plinius Apollinari suo S.

Anxium me et inquietum habet petitio Sexti Erucii mei. Adficior cura, et quam pro me sollicitudinem non adii, quasi pro me altero patior; et alioqui meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur. Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi, meo suffragio pervenit ad jus tribunatus petendi, quem nisi obtinet in senatu, vereor, ne decepisse Cæsarem videar. Proinde adnitendum est mihi, ut talem eum judicent omnes, qualem esse princeps mihi credidit. Quæ causa si studium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum, et quidem cum tota domo. Nam pater ei Erucius Clarus, vir sanctus, antiquus, disertus atque in agendis causis exercitatus, quas summa fide, pari constantia nec verecundia minore defendit. Habet avunculum C. Septicium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim et tamen æqualiter amant, omnibus nunc ego in uno referre gratiam possum. Itaque prenso amicos, supplico, ambio, domos stationesque circumeo, quantumque vel auctoritate vel gratia valeam, precibus experior; teque obsecro, ut aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes. Reddam vicem, si reposces, reddam et si non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris; ostende modo velle te, nec deerunt, qui, quod tu velis, cupiant. Vale.

XX.

Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coperat. Armati per urbem victores implacabili odio victos conſectabantur; plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox, augescente licentia, scrutari ac protrahere abditos; si quem procerum habitu et juventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quæ sævitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam; nihil usquam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes; initium id perfringendarum domuum vel, si resisteretur, causa cædis; nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos; alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et fortunæ captæ urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares; quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis, pax et quies bonis artibus indigent. Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat, sed nondum ad curas intentus solis voluptatibus filium principis agebat. Præfectura prætorii penes Arrium Varum, summa potentiæ in Primo Antonio; is pecuniam familiamque e Vitellii domo quasi Cremonensem prædam rapiebat. Civitas pavida et servitio parata occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus exstingvique reliqua belli postulabat. Præmissi Ariciam equites; agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere, et miles infelicia arma haud minus ira quam metu abjecit. Longus dedi-

torum ordo, septus armatis, per urbem incessit, nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. (*Tacitus.*)

XXI.

(Ex Plinii Panegyrico Trajano Imp. dicto.)

Priores principes, Cæsar Auguste, excepto patre tuo, præterea uno aut altero (et nimis dixi), vitiis potius civium quam virtutibus lætabantur, primum quod in alio sua quemque natura delectat, deinde quod patientiores servitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi servos. Horum in sinum omnia congerebant, bonos autem, otio ac situ abstrusos et quasi sepultos, non nisi delationibus et periculis in lucem ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis, et hercule æquum est esse eos carissimos bono principi, qui invisi malo fuerint. Scis, ut sunt diversa natura dominatio et principatus, ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur. Hos ergo provehis et ostentas quasi specimen et exemplar, quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat; et ideo non censuram adhuc, non præfecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potius quam remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioqui nescio an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur, quam qui cogit. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe atque, ut ita dicam, sequaces sumus; huic enim cari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverint dissimiles; eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes unius moribus vivamus. Porro non tam sinistre constitutum est, ut, qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari. Perge modo, Cæsar, et vim effectumque censuræ tuum propositum,

Particula III.

I. Gell. XII, 11.
II. Curt. VIII, 1, 11. (VIII, 2.)
III. Plin. epist. IX, 27.
IV. *Plin. epist. VI, 25.*
V. Cic. pro Murena § 32.
VI. Senec. de ira II, 23.
*VII. Vell. Paterc. II, 20.
VIII. Senec. de benef. II, 1, 3.
IX. Curt. VII, 10, 1. (VII, 39.)
X. Plin. epist. II, 7.
XI. Cic. de invent. I, § 1.
XII. Senec. epist. 43.
XIII. Curt. VII, 4, 1. (VII, 15.)
XIV. Senec. epist. 79, 13.
*XV. Columella XI, 1, 5.
XVI. *Cic. de orat. II, § 351.*
*XVII. Tacit. Ann. XV, 60.
XVIII. Senec. epist. 79, 1.

Particula IV.

I. Sueton. Caes. 75.
II. Liv. XXXIX, 51.
III. Senec. de ira I, 18, 3.
IV. Auct. bell. Alexand. 67.
V. Curt. III, 2, 1. (III, 4.)
VI. Senec. de benef. I, 13.
VII. Plin. epist. VIII, 24.
VIII. Gell. XVII, 10, 1—6.
IX. Senec. epist. 9, 17.
X. Tacit. Ann. IV, 34.
XI. Plin. epist. VIII, 4.
XII. Senec. de benef. VI, 37.
XIII. Liv. XXXIX, 40, 4.
XIV. Tacit. Ann. II, 39.
XV. Senec. Rhet. ed. Kiessling p. 62.
XVI. Senec. epist. 71, 1.
XVII. Curt. VII, 3, 5. (VII, 12.)
XVIII. Cic. de nat. deor. II, § 150.
XIX. Senec. quaest. nat. III, praef. 10.
XX. Gell. V, 5.

Particula V.

I. Liv. XL, 29, 3.
II. Cic. pro Sestio § 58.
*III. Sueton. Titus 8. 9.
IV. Gell. XIII, 2.
V. Curt. IX, 7, 12. (IX, 38.)
*VI. Senec. de benef. III, 33, 2.
VII. Curtius VIII, 2, 33. (VIII, 10.)
VIII. Senec. cons. ad Marc. 13.
IX. Curt. III, 1, 10. (III, 2.)
X. Senec. epist. 115, 10.
XI. Cic. de finib. III, § 7.
XII. Senec. epist. 29, 1.
XIII. Plin. epist. IX, 21.
XIV. Liv. XLIII, 7, 5.
*XV. Tacit. Ann. III, 26.
XVI. Quintil. I, 1, 1 sqq. 15 sqq.
XVII. Tacit. Hist. IV, 83.
XVIII. Senec. epist. 41.

Particula VI.

I. Auct. belli Alexandr. 65.
II. Cic. de divin. II, 58.
III. Gell. XIII, 5.
IV. Senec. epist. 10.
V. Vell. Paterc. II, 17 sqq.
VI. Liv. XXVIII, 12, 3.
VII. Senec. de ira III, 23, 2.
VIII. Sueton. Calig. 3.
IX. Tacit. Ann. XII, 36.
X. Senec. epist. 14, 1.
*XI. Tacit. Hist. IV, 5.
XII. Curt. IV, 7, 5. (IV, 29 med.)

XIII. Quintil. XI, 1, 15.
XIV. Senec. de benef. I, 7.
XV. Senec. Rhet. ed. Kiessling p. 46.
XVI. Plin. epist. I, 10.
XVII. Tacit. Ann. XIII, 3.
XVIII. Cic. de nat. deor. II, § 131.

Particula VII.

I. Cic. in Verr. Act. sec. IV, § 72.
II. Plin. epist. II, 6.
III. Liv. IX, 16, 12.
IV. Gell. XIII, 8.
V. Curt. IV, 1, 15. (IV, 3.)
VI. Senec. de benef. VI, 31.
VII. Sueton. Aug. 51.
VIII. Senec. epist. 3, 1.
IX. Sallust. frmm. hist. lib. I ed. Kritz.
X. Tacit. Hist. III, 54.
XI. Cic. de rep. II, § 17.
XII. Quintil. XII, 10, 3.
XIII. Curt. III, 1, 1.
*XIV. Dialog. de oratorib. 30.
*XV. Plin. epist. VII, 9, 1—8.
*XVI. Tacit. Hist. I, 1.
*XVII. Senec. epist. 16, 3.
XVIII. Senec. Rhet. ed. Kiessling p. 461.
*XIX. Senec. quaest. nat. VII praef. 1.
XX. Liv. XXXVI, 15, 6.
XXI. Cic. de rep. II, § 1.

Particula VIII.

*I. Sueton. Caes. 86.
II. Senec. de benef. III, 24. 27.
III. Curt. VI, 1, 3.
IV. Gell. V, 3.
V. Vell. Paterc. II, 13.
VI. Sueton. Tiber. 38.
VII. Tacit. Ann. II, 88.
VIII. Plin. epist. III, 10.
*IX. Senec. epist. 120, 3.
*X. Curt. X, 5, 18. (X, 17.)
XI. Quintil. II, 16, 12.
XII. Senec. epist. 73, 1.
XIII. Tacit. Ann. VI, 8.
XIV. Liv. XLII, 49.
*XV. Columella XII praef. 7.
XVI Senec. de benef. II, 29.
*XVII. Cic. de invent. II, § 1.
XVIII. Senec. de ira I, 1, 3.
XIX. Cic. divin. in Caecil. § 1.
XX. Plin. epist. IV, 8.
XXI. Senec. epist. 93, 1.

Particula IX.

I. Vitruv. II, praef. 1.
II. Plin. hist. nat. XXXV, § 81.
III. Sueton. Caes. 9.
IV. Senec. de ira III, 23.
*V. Curt. IV, 1, 7. (IV, 2.)
VI. Justin. VI, 8.
VII. Senec. de benef. V, 16.
VIII. Vell. Paterc. II, 117.
IX. Cic. de rep. I, § 41.
X. Liv. XXXIX, 49.
XI. Justin. XX, 4.
*XII. Cic. pro Murena § 61.
XIII. *Liv. XLV, 7, 5.*
XIV. Senec. quaest. nat. III praef. 1.
XV. Plin. epist. IV, 5.
XVI. „ „ VIII, 22.
XVII. Liv. XXXIX, 54.
XVIII. Tacit. Ann. XIV, 48.

XIX. Quintil. I, 10, 9.
XXII. Tacit. Hist. II, 44 med.

Particula X.

I. Curt. V, I, 3.
II. Vitruv. I, 1, 5.
III. Justin. III, 1.
*IV. Liv. XLII, 29. *30.*
V. Vitruv. VI praef. 1.
VI. Justin. XLIII, 3, 4.
VII. Sueton. Galba 19.
VIII. Vell. Patere. II, 84.
*IX. Liv. XXV, 40.
X. *Justin. XXIV, 4.*
XI. Cic. pro Sestio § 96 med.
XII. Senec. de brevit. vitae 4.
XIII. Dialog. de oratorib. 38. 34.
XIV. Senec. de ira II, 35, 3.
XV. Quintil. XII, 7, 1.
XVI. Senec. cons. ad Polyb. 10, 3.
XVII. Quintil. X, 3, 22.
*XVIII. Senec. epist. 14, 7.
XIX. Plin. epist. II, 9.
XX. Tacit. Hist. IV, I.
*XXI. Plin. Panegyr. 45.

Odense Universitetsbibliotek
550011068170